



S. S. S. S.

HYMNI ECCLESIAE.



HYMNI ECCLESIAE

PARS I

E BREVIARIO PARISIENSI

PARS II

E BREVIARIIS

ROMANO, SARISBURIENSI, EBORACENSI

ET ALIUNDE

Londini

APUD

ALEXANDRUM MACMILLAN

1865



O X O N I I

EXCUEBANT

T. COMBE, A. M., E. PICKARD HALL, ET H. LATHAM, A. M.

ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

HYMNI ECCLESIAE.

PARS I.

E BREVIARIO PARISIENSI.

PREFACE.

OF the three kinds of poetical composition which, in accordance with the Apostle's direction, have ever been in use in the Church, "Psalms and Hymns and Spiritual Songs," two are supplied by inspiration. We have no need, through God's bounty, to turn our thoughts to the composition of Psalms or Songs; and, to judge from the attempts which have been made, doubtless we are unequal to it. And the unapproachable excellence of the two which have been supplied serves to suggest the difficulties which beset the composition of the third which has not been supplied. Indeed, it is hardly too strong to say that to write Hymns is as much beyond us as to originate Psalmody. The peculiarity of the Psalms is their coming nearer than any other kind of devotion to a converse with the powers of the unseen world. They are longer and freer

than Prayers; and, as being so, are less a direct address to the Throne of Grace than a sort of intercourse, first with oneself, then with one's brethren, then with Saints and Angels, nay, even the world and all creatures. They consist mainly of the praises of God; and the very nature of praise involves a certain abstinence from intimate approaches to Him, and the introduction of other beings into our thoughts, through whom our offering may come round to Him. For as He, and He only, is the direct object of prayer, so it is more becoming not to regard Him as directly addressed in praise, which would imply passing a judgment on Him who is above all scrutiny and all standards. The Seraphim cried *one to another*, "Holy, Holy, Holy," veiling their faces; neither looking nor speaking to Him. The Psalms, then, as being praises and thanksgivings, are the language, the ordinary converse, as it may be called, of Saints and Angels in heaven; and, being such, could not be written except by men who had heard the "unspeakable things" which there are uttered. In this light they are more difficult than Prayers. Beggars can express their wants to a prince; they cannot converse like his courtiers.

Much the same remark may be made about the Songs or Canticles of the Church, which are also inspired, and are a kind of Psalms written for particular occasions, chiefly occasions of thanksgiving. Such are the two Songs of Moses, the Song of Hannah, those in Isaiah, the Song of Hezekiah,

of Habakkuk, of the Three Children, of Zacharias, of the Blessed Virgin, and of Simeon; most of which are in the Breviary, and the last four are retained in our own Reformed Prayer Book.

Yet though Hymns, as being of a measured length, and restrained metrically, are so far safer to attempt than Psalms or Songs, they have their own peculiar difficulties. They are direct addresses to Almighty God, which ever must be most difficult to the serious mind, whatever be the difficulty of other devotions. This, in the instance of Prayers, has led to the use of Sentences, such as occur in our own Services; which, besides the advantage of extreme brevity, for the most part admit of being taken from Scripture. It has led also to the repetition of the Lord's Prayer, and of the *Kyrie Eleison*; and, again, to the use of Collects, which lessen the difficulty of addressing God by subjecting it to fixed rules. Hence our best Family Prayers are what may be called a succession of Sentences strung together, the simple and concise expression of our humiliation, fear, hope, and desire, for ourselves and others. Long Public Prayers, to make a general assertion which of course admits of exceptions, are arrogant and irreverent; hence the Pharisees made them. Hence, too, the unchastised effusions which abound in the present day among those who have left the Church or lost her spirit. The great Eucharistic Prayer is nearly the only long prayer in the

Catholic Church; and there is every reason to suppose that in its substance it proceeds from inspired authorities. In our own Service it has been separated by our Reformers into three distinct portions.

Hymns, however, being of the nature of praises, cannot be altogether brought down to that grave and severe character which, as being direct addresses to God, they seem to require; and this is their peculiar difficulty. To praise God specially for Redemption, to contemplate the mysteries of the Divine Nature, to enlarge upon the details of the Economy of Grace and yet not to offend, to invoke with awe, to express affection with a pure heart, to be subdued and sober while we rejoice, and to make professions without display, and all this not under the veil of figurative language, as in the Psalms, but plainly, and (as it were) abruptly, surely requires to have had one's lips touched with a "coal from the Altar," to have caught from heaven that "new song" "which no man could learn, but the hundred and forty and four thousand which were redeemed from the earth"—the virgin followers of the Lamb.

Our Church, with the remarkable caution which she displays so often, has not attempted it. She has received the Psalms and Songs from Scripture; and, rejecting the Roman Hymns, has substituted in their stead, not others, but a metrical version of the Psalms. This abstinence has led on the one

hand to some of her members on their own responsibility supplying the deficiency, and has incurred the complaint of others, who argued that she ought to have taken on herself what, being right in itself, will certainly be done by private hands, if not by the fitting authority. But, in truth, when it was necessary for her to abandon those she had received, nothing was left to her but to wait till she should receive others, as in the course of ages she had already received, by little and little.

The Roman Hymns, whether good or bad, were the work of no one generation, much less the outpourings of one mind. They were not the contents of one collection, published all new in a day according to the will of man. They were the gradual accumulations of centuries, bearing in old and new upon one treasure-house. When there was a call to reject them, there was nothing to be done but begin again. We could not be young and old at once. It was a stern necessity alone which could compel us to change from what we were; but being changed, so far we were not what we were, and must be what the primitive Church was in these respects, poor and ill-furnished. We began the world again. This is the proper answer to inconsiderate complaints and impatient interference. There have before now been divines who could write a Liturgy in thirty-six hours. Such is not our Church's way. She is not the empiric to make things to order, and to profess to anticipate the course of nature, which, under grace, as under

Providence, is slow. She waits for that majestic course to perfect in its own good time, what she cannot extort from it ; for the gradual drifting of precious things upon her shore, now one and now another, out of which she may complete her rosary and enrich her beads,—beads and rosary more pure and true than those which at the command of duty she flung away.

As far as we know, the public Hymns of the early Church were not much more than the following. First, starting from Scripture, she adopted the repetition of the *Hallelujah*, which is described by St. John, in the Revelations, to be the chant of the blessed inhabitants of heaven. Next may be mentioned the *Gloria Patri*, pretty much as we now use it. Thirdly, the *Trisagion*, or “Holy, Holy, Holy,” from Isaiah vi. ; or, as it was also used, and now is, in the Roman Church, “Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis.” Besides these, there was the Morning or Angelic Hymn, beginning with the words used by the Angels at the nativity ; and for the evening the Hymn beginning “Hail gladdening Light,” preserved by St. Basil. These are not metrical, as they were afterwards ; nor are two others of a later date, which we still retain, the *Te Deum* and the *Athanasian Creed*. They are both of Gallican origin, though the former has been ascribed to St. Ambrose. Others, however, now extant, are certainly his ; others are the compositions of St. Hilary, Prudentius, St. Gregory,

and later saints. It is not too much to say then that, judging by what we know of the Hymns of the primitive Church, we should not be dissatisfied with the paucity of those which custom has, with a sort of tacit authority, introduced among us in the course of several centuries.

More, doubtless, might be selected from the writings of our sacred Poets ; but since, from unhappy circumstances, such a work does not seem likely at the present day, thoughtful minds naturally revert to the discarded collections of the ante-reform era, discarded because of associations with which they were then viewed, and of the interpolations by which they were disfigured ; but which, when purified from these, are far more profitable to the Christian than the light and wanton effusions which are their present substitute among us. Nay, even such as the Parisian, which are here first presented to the reader, which have no equal claims to antiquity, breathe an ancient spirit ; and even where they are the work of one pen, are the joint and invisible contribution of many ancient minds. Moreover, the ancient language used has a tendency to throw the reader out of every-day thoughts and familiar associations, and to make him fervent without ceasing to be mortified. Many a man could bear to read the Canticles in a foreign language who is unequal to it in his own.


It only remains to say, that the following selection of Hymns, from the Paris Breviary, has been confined to such

holy days and seasons as are recognized by our Church, or to special events or things recorded in Scripture; those Hymns, however, being omitted which contained invocations to the Saints of such a nature as to be, even in the largest judgment of charity, not mere apostrophes, but supplications.

J. H. N.

February 21, 1838.

<i>Hymni Ordinarii</i>	I
<i>Hymni de Tempore</i>	26
<i>Commune et Proprium de Festis</i>	105
<i>Commune Sanctorum</i>	167
<i>Doxologiae</i>	211



59
H Y M N I.

DOMINICA.

AD OFFICIUM NOCT.

DIE dierum principe
Lux e tenebris eruta :
Christus sepulcri carcere,
Lux vera mundi, prodiit.

Et mors et horrendum chaos
Vocem jubentis audiunt :
Nos surdiores, o pudor!
Deo pigebit obsequi?

Umbris sepulta dum stupet
Natura, lucis filii
Surgamus, et noctem piis
Exerceamus canticis.

Legem, Prophetas, et sacro
Psalms calentes lumine,
Profana dum silent loca,
Divina templa personent.

B

Coelestis haec vincat tuba
 Cordis soporem languidi,
 Novique mores exprimant
 Vitam resurgentis novam.

Hoc consequemur, te duce,
 Fons caritatis, o Deus,
 Qui legis addis litterae
 Vitae datorem Spiritum.

Sit laus Patri, laus Filio;
 Par sit tibi laus, Spiritus,
 Afflante quo mentes sacris
 Lucent et ardent ignibus.

AD LAUDES.

Ad templa nos rursus vocat
 Surgentis aurorae nitor,
 Novasque pro laeto monet
 Referre grates munere.

At victor auroram suo
 Fulgore Christus obruit:
 Huic, magna cujus pars sumus,
 Juvat triumpho plaudere.

Quod evolutus fasciis
 Repente mundus extitit,
 Puro renidens lumine,
 Virtutis hoc quantae fuit!

Quod traditum neci Pater,
 Ut sontibus vitam daret,
 Vitae redonat Filium,
 Amoris hoc quanti fuit!

Aeternus ut rerum Sator
Aspexit orbem, protinus,
Colore depictum suo,
Probavit excellens opus.

At laetius quanto obtulit
Sese Patri spectaculum
Coelestis Agni candido
Ablutus orbis sanguine !

Cum luce nobis redditur
Mundi renascentis decor,
Occulta per quem Numinis
Mens surgit ad magnalia.

At splendor aeterni Patris,
Lumenque Christus cordium,
Deum dat in se, quantus est,
Sub nube carnis cernere.

Praesta, beata Trinitas,
Ut legis ad facem tuæ
Vitemus omne quod vetas,
Sectemur omne quod jubes.

Per Hebdomadam.

AD PRIMAM.

Jam lucis orto sidere
Deum precemur supplices,
Nostras ut ipse dirigat :
Lux increata, semitas.

Nil lingua, nil peccet manus,
 Nil mens inane cogitet:
 In ore simplex veritas,
 In corde regnet caritas.

Incoepa dum fluet dies,
 O Christe, custos pervigil,
 Quas saevus hostis obsidet,
 Portas tuere sensuum.

Praesta diurnus ut tuae
 Subserviat laudi labor?
 Auctore quae te coepimus,
 Da te favente prosequi.

Superba ne nimis caro
 Menti licenter imperet,
 Carnis domet superbiam
 Potus cibique parcitas.

Deo Patri sit gloria,
 Ejusque soli Filio,
 Sancto simul cum Spiritu,
 Nunc, et per omne seculum.

Per Hebdomadam.

AD TERTIAM.

O fons amoris, Spiritus,
 O sancte donorum parens,
 Tuas refusus intimis
 Accende flammās cordibus.

Qui caritatis vinculo
Cum Patre nectis Filium,
Et nos amoris mutui
Arctis coapta nexibus.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
Nunc, et per omne seculum.

Per Hebdomadam.

AD SEXTAM.

Jam solis excelsum jubar
Toto coruscat lumine ;
Sinusque pandens aureos,
Ignita vibrat spicula.

Tu, Christe, qui mundum nova,
Sol verus, accendis face,
Fac nostra plenam caritas
Crescendo surgat ad diem.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
Nunc, et per omne seculum.

Per Hebdomadam.

AD NONAM.

Labente jam solis rota,
Inclinat in noctem dies ;
Sic vita supremam cito
Festinat ad metam gradu.

O Christe, dum fixus cruci
 Expandis orbi brachia,
 Amare da crucem ; tuo
 Da nos in amplexu mori.

Deo Patri sit gloria,
 Ejusque soli Filio,
 Sancto simul cum Spiritu,
 Nunc, et per omne seculum.

AD VESPERAS.

O Luce qui mortalibus
 Lates inaccessa, Deus !
 Praesente quo sancti tremunt
 Nubuntque vultus Angeli :

Hic, ceu profunda conditi
 Demergimur caligine :
 Aeternus at noctem suo
 Fulgore depellet dies.

Hunc nempe nobis praeparas
 Nobis reservas hunc diem,
 Quem vix adumbrat splendida
 Flammantis astri claritas.

Moraris heu ! nimis diu
 Moraris, optatus dies :
 Ut te fruamur, noxii
 Linquenda moles corporis.

His cum soluta vinculis
Mens evolarit, o Deus;
Videre te, laudare te,
Amare te non desinet.

Ad omne nos apta bonum,
Foecunda donis Trinitas;
Fac lucis usurae brevi
Aeterna succedat dies.

Per Hebdomadam.

AD COMPLETORIUM.

Grates, peracto jam die,
Deus, tibi persolvimus,
Pronoque, dum nox incipit,
Prosternimus vultu preces.

Quod longa peccavit dies,
Amarus expiet dolor;
Somno gravatis ne nova
Infligat hostis vulnera.

Infestus usque circuit
Quaerens leo quem devoret:
Umbra sub alarum tuos
Defende filios, Pater.

O quando lucescet tuus
Qui nescit occasum, dies!
O quando sancta se dabit,
Quae nescit hostem, patria.

Deo Patri sit gloria,
 Ejusque soli Filio,
 Sancto simul cum Spiritu,
 Nunc, et per omne seculum.

FERIA II.

AD OFFICIUM NOCT.

Dei canamus gloriam,
 Coelum secundo qui die
 Expandit, admirabile
 Mortalibus spectaculum.

Poli stupemus alveo
 Stagnare pensiles lacus :
 Hinc imbres terras fertili
 Coelestis irrorat Pater.

Quam praeparas nobis, Deus,
 Est haec imago gratiae :
 Haec rore stillans uberi
 Cordis penetrat intima.

Hanc qui fideli combibunt
 Aquam salubrem pectore,
 In his ad aeternas domos
 Miro resultat impetu.

Beata gens, quam prodiga
 Ditare non cessas manu !
 Amoris haec memor tui,
 Amoris et reddat vices.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
In sempiterna secula.

AD LAUDES.

Nil laudibus nostris eges,
Sed filios amas, Pater ;
Multaque coelestem prece
Vis provocari gratiam.

Tui profunda consili
Noctis canat silentium :
Tuæ jubar clementiæ
Splendor diei prædicat.

Tantis minor miraculis
Mens obstupet, vox deficit :
Tacere sed totis nequit
Amor medullis aestuans.

Erumpat ergo : te memor
Clamet parentem, qui mala
Præsentis ævi mitigas,
Spondes futuri præmia.

Huc vota tendunt cordium ;
Infirma sed tardat caro :
Quæ ducit ad te, da sequi,
Dux ipse Jesu, semitam.

AD VESPERAS.

Jactamur heu quot fluctibus!
Spes una de coelis nitet:
Illuc et ora tollimus,
Et mittimus suspiria.

Tu vota praecurris, Pater,
Magnamque protendis manum:
Jam fulta tanto robore
Surgit potens infirmitas.

Quae saeva nos premunt mala
Vinces, malis potentior:
Te nostra durae sentiet
Mens servitutis vindicem.

Quin vile corpus, Filii
Fulgore donabis tui:
At illa venalis patet
Multo labore gloria.

Felix labor quem recreas
Tam splendida rerum vice!
Fletu quis aeternum brevi
Neget pacisci gaudium?

Sit laus Patri, laus Filio:
Utrumque qui nectis, Deus
Utrique compar, sit tibi
Laus sempiterna, Spiritus.

FERIA III.

AD OFFICIUM NOCT.

Jubes: et, in praeceps aquis
Repente confluentibus,
Prodit sub auras humidis
Exuta velis Arida.

Hanc tu colendam qui tuis,
Pater, dedisti filiis,
Quos orbis unus continet,
Fac una jungat caritas.

Nunc exulamus: sed tuam
Mox congregabis in domum
Te Patre dignos, qui pio
Amore fratres vixerint.

At, qui malignis artibus
Linguisque laedunt proximum,
A te repelles: hoc genus
Coelestis aula non capit.

En ipsa tellus improbos
Dudum laborans sustinet,
Ardetque non suae jugo
Corruptionis eximi.

Adoptionem nos quoque
Efflagitamus integram,
Cui nos sacrato Spiritus
Praedestinavit pignore.

Feria III.

Aeterna laus et gloria
 Uni sit et trino Deo,
 Diffusa per quem cordibus
 Fraternal regnat caritas.

AD LAUDES.

Te principem summo, Deus,
 Jubes amore diligi:
 Tibi secundum protinus
 Jubes amari proximum.

Amore fundatam tuo
 Communionem respice,
 Qua corpus unum plurimi,
 Unum cor, una mens sumus.

Illam fides et veritas
 Amabili stipant choro:
 Obliquus hinc livor procul
 Et litis ardor exulant.

Tu, pacis auctor, mutuos
 Astringe nexus: da, Pater,
 Gaudere fratrum gaudiis,
 Da condolere fletibus.

Aeterna laus et gloria
 Uni sit et trino Deo,
 Qui moris unius sacra
 Nos pacis in domo locat.

AD VESPERAS.

O quam juvat fratres, Deus,
Unum quibus Christus caput
Vitale robur sufficit,
Uno moveri spiritu!

Quam dulce laudes dicere
Una tibi cunctos domo,
Precumque ceu facta manu,
Inferre vim gratam tibi!

Hanc quisque diligit domum;
Hanc pace concors recreet:
Vae dira qui spargit malus
Dissensionum semina.

Sed damna cedunt in lucrum
Te, Christe, diligentibus;
Augent coronas praelia;
Prosuntque, dum nocent, mali.

Vox blanda saevit tristius,
Dum pectus incautum subit,
Lapsuque caeco dulcibus
Laudum venenis inficit.

Praesta, beata Trinitas,
Ut caritate mutua
Prosimus alter alteri,
Regnemus et polo simul.

FERIA IV.

AD OFFICIUM NOCT.

Miramur, o Deus, tuae
 Recens opus potentiae,
 Quae scripta scintillantibus
 Refulget astrorum globis.

Ut sol diei, candida
 Sic luna nocti praesidet ;
 Exercitu totum novo
 Discriminant stellae polum.

At ipse, coelorum decus,
 Sol novit occasus suos :
 Sunt certa lunae tempora,
 Statique lapsus siderum.

Jugi rotata turbine
 Furantur et reddunt diem :
 Tu semper idem, nescius
 Mortalium spem fallere.

Turbata quid mens fluctuet ?
 Cura paterna nos regis :
 Aeterna si cordi salus,
 Aeterna nos salus manet.

Suprema laus et gloria
 Uni sit et trino Deo,
 Suo reponi qui jubet
 Curas et angores sinu.

AD LAUDES.

Promittis, et servas datam
Immobilis fidem, Deus ;
Hanc mane primo sedula
Reposcimus fidem prece.

Promittit atque decipit
Incertus et fallax homo :
Sic quassa, si incumbas super,
Arundo transfiget manum.

Beatus ergo, qui tuo
Se totus abdit in sinu :
Hac arce tutum turbinis
Vis nulla de statu quatit.

Ne cor vacillet, obligas
Temet sacramento, Deus :
Spes nixa tanto pignore,
Aeterna jam prensat bona.

Jam mente praesumens polum,
Secura sublimi throno
Assistit, et coelestium
Praelibat undas fluminum.

Fons o perennis gratiae,
Colenda semper Trinitas,
Te spem salutis unicam
Da mente tota quaerere.

AD VESPERAS.

Horres superbos, nec tuam
 Das alteri laudem, Deus :
 Humana nil isthinc sibi
 Decerpat arrogantia.

Ingrata quippe mens tuae
 Fluenta sistit gratiae ;
 Tristique marcescit statim,
 Ceu gramen exustum siti.

Ut servus in manus heri
 Intenta figit lumina ;
 Sic ora sacris montibus
 Non dimovemus anxii.

Desideratam si dare
 Opem moraris ; spes tamen,
 Tenacis instar ancorae,
 Immota fundat pectora.

Sit summa Patri gloria :
 Sit summa Nato, qui dedit
 Nobis futurae Spiritum
 Hereditatis obsidem.

FERIA V.

AD OFFICIUM NOCT.

Iisdem creati fluctibus
 Pisces natant, volant aves :
 Utrumque mortali genus
 Paratur esca corpori.

Menti sed aeternae cibus
Debetur alter : haec Dei
Sermone vivit : hanc fovet
Coelestis et nutrit fides.

Quaesita Christi sanguine
Manavit in terras fides,
Et impiarum pectora
Victrix subegit gentium.

Fax illa puris cordibus
Monstrare coelos efficax,
Aeterna dignis incitat
Factis mereri praemia.

Sancti leonum, per fidem,
Mulsere rugitus : truces
Fregere regnantum minas ;
Risere stridentes rogos.

Hac luce signatum, Deus,
Calcere dona tramitem,
Et caritatis uberes
Fructus eundo carpere.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
Nunc, et per omne seculum.

AD LAUDES.

Dignas quis, O Deus, tibi
Laudes rependat, qui tuo
Pellis tenebras lumine,
Salutis et monstras viam?

Tu, quam jubes, donas fidem ;
Haec cultui praeest tuo ;
Haec mentis errores fugat ;
Haec corda sursum dirigit.

Te destituta spiritu
Nil pompa sacrorum juvat :
Secreta puri blandius
Tibi litabunt pectoris.

Vox inde cordi consona
Vectigal exsolvet suum,
Et ad salutem libero
Prometur ore veritas.

O, qui superbos respuis,
Et simplices amas, Deus,
Ut crescat in nobis fides,
Cordis tumorem comprime.

Sit summa Patri gloria :
Sit summa Nato, qui fidem
Cruore fundavit suo :
Par sit tibi laus, Spiritus.

AD VESPERAS.

O fortis, O clemens Deus,
Salutis auctor, tu fidem
Nostris potenter insere,
Germen salutis, cordibus.

Hinc omne robur ducimus :
Haec arma nobis ; hoc manus
Protecta scuto, flammea
Retundet hostis spicula.

Hinc fundimus preces tibi
Sacri sub umbra nominis,
Quo nititur spes omnium
Uno salutis pignore.

Placatus illo nomine,
Labantibus feres opem,
Dabisque, sanctam degener
Ne vita deturpet fidem.

Sit laus Patri, laus Filio :
Par sit tibi laus, Spiritus,
Infusa per quem cordibus
Relucet imis veritas.

FERIA VI.

AD OFFICIUM NOCT.

Jam sanctius moves opus,
Tecum, Deus, deliberans :
Mundo recenti principem,
Tibique praeconem paras.

Homo creatur ; hunc sacro
Coelestis oris halitu
Succendis, et vivam tui
Spirare das imaginem.

Ergo per omnes aequoris,
 Telluris omnes et sinus
 Regnabit: at memor sui
 Deo minorem se gerat.

Heu, caeca cordis pravitas!
 Jugum rebellis excutit;
 Deo superbus nec timet
 Aequare pulvis verticem.

Hinc quanta luctuum cohors
 Incumbit orbi perduto!
 O Christe, ni feras opem,
 Spes tota sontes deseret.

Qui nos creavit, laus Patri;
 Qui nos redemit, Filio;
 Cujus movemur halitu,
 Par sit tibi laus, Spiritus.

AD LAUDES.

Ultricibus nos undique
 Dum saucias telis, Deus,
 Quis ferre, te praeter, queat
 Moerentibus solatium?

Mundus facessat: nil opis
 Favore praestat futili:
 Fallacibus quin asperat
 Alitque fomentis malum.

Flagella nos terrent tua ;
Non illa spem demunt tamen :
Quae ferre nos jubes, Pater,
Fiunt medela vulnerum.

At impetus libidinum
Ferocientes comprime :
Haec vera nos vexant mala,
Sanare quae solus potes.

Quid ergo cessas ? ingruunt
Intus forisque praelia ;
Hosti-ne praeda mens erit
Christi redempta sanguine ?

Audis precantes : anxiae
Spes blanda jam menti redit :
O Christe, tetros mors tua
Mortis pavores discutit.

Sit Trinitati gloria,
Quae sic flagellis quos amat
Exercet, ut clementiae
Rursum recordetur suae.

AD VESPERAS.

Lugete, pacis Angeli :
Mortalis en ultro Deus,
Culpa gerens imaginem,
Poenam nocentum sustinet.

Amoris O miraculum !
 O cordis humani stupor !
 Insons Deus neci datur ;
 Pigebit et sontes pati !

Nos sempiternis crux tua,
 O Christe, flammis eruit :
 Hic ure vindex, hic seca,
 Parcas in aeternum modo.

Caro reclamat ; sed Patris
 Urget voluntas : nos tua
 Virtute da fortes sequi,
 Jesu, quod exemplo doces.

Livore sanatos tuo,
 Tuoque lotos sanguine,
 Peccando ne novam sinas
 Parare nos tibi crucem.

Qui Filium tradit, Patri,
 Natoque sit laus victimae :
 Par sit tibi laus, qui sacram
 Succendis aram, Spiritus.

SABBATO.

AD OFFICIUM NOCT.

Tandem peractis, O Deus,
 Sexto dierum limite,
 Ponis modum laboribus,
 Orbique plaudis condito.

At dum perenni septimam
Lucem quieti consecras,
En te reposcit denuo
Alter creatorem labor.

Te cuncta nempe praedicant ;
Te terra, pontus, sidera
Cantu celebrant aemulo ;
Peccator unus dissonat.

Tu pectus aufer saxeum ;
Tu carneum pectus crea :
Et caritatis uberes
Fructus canent hymnum tibi.

Haec te juvant praeconia,
Si facta voci consonent :
Sic efficaci flectitur
Divina majestas prece.

Aeterna laus et gloria
Uni sit et trino Deo,
Qui cuncta nutu condidit,
Nutuque servat condita.

AD LAUDES.

Rerum Creator omnium,
Nostros labores adjuva ;
Ut casta Christi nomine
Nos vita dignos arguat.

Tu nempe sanctus et potens,
 Placere das solus tibi :
 Tu legis auctor das sequi
 Quod lege praemonstras iter.

Cingunt iter pericula,
 Tu lubricos firma pedes ;
 Et certiore fervidi
 Pergemus ad metam gradu.

O meta felix, pax ubi
 Et vera nos manet quies ;
 Ubi voluptatis sacro
 Torrente potabis tuos !

Te mens, O alma Trinitas,
 Anhelat ardens, te sitit :
 Tua redemptis gratia
 Aeterna redde praemia.

AD VESPERAS.

Supreme motor cordium,
 Tu sanctitatis frugibus
 Justos ab orbe condito
 Tenore ditas perpeti.

Hic spes, fides et caritas
 Dulci cohaerent vinculo :
 Praesentis aevi post diem
 Manebit una caritas.

O caritas ! O veritas !
O lux perennis ! en erit,
Post tot labores, ut tuo
Tandem fruamur Sabbato.

Hic mille per discrimina
Semen gementes spargimus :
Illic ovante splendidam
Gestabimus messem manu.

Tu trine, tu potens Deus,
Fructus adauge quos petis :
Mox dona, justus arbiter,
Coelo coronabis tua.

H Y M N I
D E T E M P O R E .

I N A D V E N T U .

A D O F F I C I U M N O C T .

I N S T A N T I S adventum Dei
Poscamus ardenti prece :
Festisque munus inclytum
Praeoccupemus canticis.

Aeterna Proles feminae
Non horret includi sinu ;
Fit ipse servus, ut jugo
Nos servitutis eximat.

Mansuetus et clemens venit ;
Occurre, festina, Sion :
Ultero tibi quam porrigit,
Ne dura pacem respuas.

Mox nube clara fulgurans
Mundi redibit arbiter,
Suique membra corporis
Coelo triumphator vehet.

Foetus tenebrarum, die
Cedant propinquo crimina :
Adam reformetur vetus,
Imago succedat novi.

Qui liberator advenis,
Fili, tibi laus maxima
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

AD LAUDES.

Jordanis oras praevia
Vox ecce Baptistae quatit :
Praeconis ad grandes sonos
Ignavus abscedat sopor.

Auctoris adventum sui
Tellus, et aether, et mare
Praegestiente sentiunt
Et jam salutant gaudio.

Mundemus et nos pectora :
Deo propinquantiam
Sternamus ; et dignam domum
Tanto paremus hospiti.

Tu nostra, tu, Jesu, salus ;
 Tu robur et solatium :
 Arens ut herba, te sine
 Mortale tabescit genus.

Aegris salutarem manum
 Extende : prostratos leva :
 Ostende vultum, jam suus
 Mundo reflorescet decor.

Qui liberator advenis,
 Fili, tibi laus maxima
 Cum Patre, et almo Spiritu,
 In sempiterna secula.

AD VESPERAS.

Statuta decreto Dei
 Tandem propinquant tempora :
 Emptus tot annorum mora
 Affulget e coelo dies.

Patris nefando crimine
 Proles jacebat saucia :
 In mortis umbra conditum
 Sedebat humanum genus.

Morti secundae debitos
 Et sempiternis ignibus
 Horrenda justı Judicis
 Manebat expectatio.

Heu! quis ruinae tam gravis
Sarcire damna; quae manus
Afferre tam grandi queat
Parem medelam vulneri?

Tu, Christe, tu solus tuo
Delapsus e throno Deus,
Imagini potes tuae
Formam decusque reddere.

Rorate, coeli desuper;
Justumque foecundo sinu
Complexa tellus, perdito
Orbi salutem germinet.

Sit sempiterna laus tibi,
Verbum Patris factum caro,
Cum Patre, cumque Spiritu,
Nunc, et per omne seculum.

AD COMPLETORIUM.

In noctis umbra desides
Dum somnus artus occupat,
Ad te, Deus, fidelibus
Mens excubat suspiriis.

Desiderate gentibus,
Verbum Patris, mundi salus,
Audi preces gementium,
Tandemque lapsos excita.

Adsis, Redemptor, et tuae
Plebis relaxans crimina,
Adae scelus quas clauserat
Reclude coelestes domos.

Qui liberator advenis,
Fili, tibi laus maxima
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

IN VIGILIA NATALIS DOMINI.

AD COMPLETORIUM.

Mundi salus qui nasceris,
Jesu puer; nos respice;
Da moribus castis tuam
Referre nos infantiam.

Fessos diurno dum levat
Labore nocturnus sopor,
Defende, Pastor, bestiis
Tuas ab infestis oves.

Qui natus es de Virgine,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

IN NATIVITATE DOMINI.

AD PRIMAS VESPERAS ET LAUDES.

Missum Redemptorem polo
Novumque totus, qua patet,
Adoret orbis Principem
Natum Maria virgine.

Rerum creator omnium
Servile corpus induit ;
Ut carne carnem liberans,
Ne perderet quos condidit.

Quod ante mundi tempora
Verbum Patris prodit sinu,
Obnoxius nunc tempori
Mortalis infans nascitur.

Foeno cubare sustinet,
Praesepe non horret Deus,
Et indiget lactis cibo
Cibus perennis coelitum.

Quae cardines mundi rotant
Manus ligantur fasciis :
Imbellis et plorans jacet,
Ut nos jacentes erigat.

Judex futurus seculi
Nunc blandus ad cunas vocat :
Amore tanto, mutui
Amoris exposcit vices.

Qui natus es de Virgine,
 Jesu, tibi sit gloria
 Cum Patre, cumque Spiritu
 In sempiterna secula.

AD OFFICIUM NOCT.

Jam desinant suspiria ;
 Audivit ex alto Deus :
 Coeli patescunt ; en adest
 Promissa pax mortalibus.

Profunda noctis otia
 Coelestis abrumpit chorus ;
 Natumque festo carmine,
 Annuntiat terris Deum.

Specum sacratam pervigil
 Dum turba pastorum subit,
 Eamus, et castis pia
 Cunis feramus oscula.

At quale nobis panditur
 Intransibis spectaculum !
 Praesepe, foenum, fasciae,
 Parens inops, infans puer.

Tu-ne ille, Christe, Filius
 Et splendor aeterni Patris ?
 Illum-ne cerno qui levi
 Orbem pugillo sustinet ?

Sic est : verenda queis lates,
Fides penetrat nubila :
Agnosco quem proni vident,
Tremunt, adorant Angeli.

Agis magistrum vel tacens :
Ex hac cathedra nos doces
Vitare quod carni placet,
Caro quod horret perpeti.

Castos amores nutriens,
Sanans tumentes spiritus,
Divine, nostris, o Puer,
Praecordiis innascere.

AD VESPERAS.

Jesu, Redemptor omnium,
Summi Parentis unice,
Qui solus ante secula
Patri Deo par nasceris.

Tu nostra pax et gloria,
Spes una tu mortalium,
Intende quas tibi preces
De cordis ara fundimus.

Qui corporis nostri volens
Nascendo formam suscipis,
Divinitatis nos simul
Das esse consortes tuae.

Ad illud evectos decus
Tuere fratres; degener
Ne vita sontes pristinam
In vilitatem deprimat.

Hoc sancta te poscit dies,
Ortus dies tui memor,
Qua lucido surgens thoro
Sol verus orbem visitas.

Nunc ergo terra, nunc polus,
Vastique tractus aequoris,
Qui te dedit, festis Patrem
Laudare certent canticis.

Et nos, perennis o quibus
Salutis auctor nasceris,
Faustum triumphali juvat
Ornare concentu diem.

Qui natus es de Virgine,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

IN FESTO S. STEPHANI PROTO-
MARTYRIS.

AD OFFICIUM NOCT.

O qui tuo, dux Martyrum,
Praefers coronam nomine,
Non de caducis floribus
Tibi coronam nectimus.

Tuo cruenta sanguine,
Quam saxa fulgent pulchrius?
Aptata sacro vertici
Non sic micarent sidera.

Quot facta fronti vulnera,
Tot tela lucis emicant;
Et Angelo monstrat parem,
Quod prodit e vultu, jubar.

Tu prima Christo victimae
Vitam rependis victima,
Primusque testis aemulo
Deum fateris funere.

Tu primus ostensam tibi
Maris rubri sulcas viam:
Quot te sequentur Martyrum
Quibus praeis, exercitus!

Qui natus es de Virgine,
 Jesu, tibi sit gloria
 Cum Patre, cumque Spiritu,
 In sempiterna secula.

AD LAUDES.

Quid, obstinata pectora,
 Verbo Dei resistitis?
 Qui vos Deo plenus docet,
 Hunc destinatis funeri.

Omnes in unum saeviunt,
 Saxis gravant truces manus:
 Hunc particeps Saulus necis
 Per omnium dextras petit.

Quid hoc? repente panditur
 Stellata coeli regia:
 Ad dexteram Patris videt
 Sublime stantem Filium.

Non deseris, dux, militem
 Quem, Christe, spectans roboras;
 Stas arbiter certaminis,
 Futurus ipse praemium.

Deo mori sub iudice
 Pugnantis est victoria:
 Dum grandio saxorum pluit,
 Nil sentit affixus polo.

Mens nempe largo vividae
Torrente lucis ebria,
Nil corporis memor sui,
Jam se beatis inserit.

Qui natus es de Virgine,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

AD VESPERAS.

Miris probat sese modis
Suos in hostes caritas;
Et blandiens et increpans
Amica semper caritas.

Qui stans perorabat sibi,
Cadens et expirans humi,
Lingua disertis sanguinis,
Suis perorat hostibus.

Audivit e coelo Deus
Suprema verba Martyris;
Dux Saulus, et testis necis
Necis fit ipse praemium.

Fractis jacens cervicibus,
Et sic perire laetior,
O Christe, dixit, suscipe
Quem pono pro te spiritum.

Tum blanda mors amabili
 Sopore clausit lumina ;
 Ad lucis aeternae jubar,
 Exutus artus, evolat.

Servire mensis pauperum
 Id muneris quondam tui ;
 Conviva nunc dignus Deo,
 Mensis supernis assides.

Tu nuptiali splendidus
 Tui cruoris purpura,
 Ad immolati transvolas
 Admissus Agni nuptias.

Quid non, Deus, si respicis,
 Humana possunt pectora ?
 Cujus triumphum pangimus,
 Fac nos et exemplum sequi.

Qui natus es de Virgine,
 Jesu, tibi sit gloria
 Cum Patre, cumque Spiritu,
 In sempiterna secula.

IN FESTO S. JOANNIS APOSTOLI.

AD OFFICIUM NOCT.

Tu, quem prae reliquis Christus amaverat,
 O dulces hominis deliciae Dei,
 Curarum socius, funeris et comes,
 Et testis quoque gloriae.

Fortunate nimis, cui licitum fuit
Attrectare manu Verbum hominem Deum,
Hunc audire, oculis cernere, mutuo
 Quin et colloquio frui!

Haec dos quanta fuit, cum tibi credidit
Sensus Christus amans pectoris intimos,
Quando monte super totus homo Deus
 Sese numine vestiit?

Jesu tu placido dum recubas sinu,
Potas plena Deo vivida flumina ;
Illapsu tacito se propius tuis
 Numen sensibus inserit.

Ex hoc fonte Deum plenius hauseras ;
Corpus destituit mens velut ebria ;
Dic, cum blanda quies lumina clauserit,
 Quae coelestia videris.

O sacros aditus ! O bene mutui
Hac ignota tenus gaudia pectoris !
Quae non tela jacit divus amor sacris
 His fornacibus incubans !

Hinc tu semper amans, semper amabilis :
Hinc et frontis honos, virgineus pudor ;
Hinc coeleste jubar, quod superos decet,
 Toto vertice funditur.

Hinc creber repetis, creber idem sonas :
Quidquid faris, amor, sic amor imperat :
Vix sese capiens aestuat, et suis
 Pectus rumpitur ignibus.

Sit laus summa Patri, summaque Filio ;
Sit par, sancte, tibi gloria, Spiritus :
Haec est certa fides, fontibus e tuis
 Quam divinitus hausimus.

AD LAUDES.

Quem nox, quem tenebrae, densaque nubila,
Circumfusa tegunt lumine splendidum,
Imbelles oculos terrificis Deus
 Ne fulgoribus obruat.

O dilecte Deo, quam tibi clarius,
Dum tu vivis adhuc, se dedit aspici !
Tu secreta Dei, mentis et intimae
 Rimaris penetralia.

Ceu pennis aquilae, raptus in aethera
Coelum mente petis, sidera transvolas ;
Nil obstant rutili fulgura luminis,
 Nudo Numine pasceris.

Aeterno genitum de Patre Filium,
Dempta nube, vides, eque Deo Deum
Descendisse sacros de patrio sinu
 Castae Virginis in sinus.

In nos hoc potuit tantus amor Dei !
Terris ipse sui numinis immemor,
Nobis factus homo, se facit exulem,
 Ut coelo trahat exules.

Per te sacra patent abdita vatibus :
Quae lux in tenebris fulgeat, indicas :
A quo vita fluit, principium petis,
Et primordia luminis.

Patri maxima laus, maxima Filio,
Amborumque sacro maxima Flamini :
Haec est certa fides, fontibus e tuis
Quam divinitus hausimus.

AD VESPERAS.

Sit qui rite canat te modo virginem,
Te scriptis celebrem dicat Apostolum,
Jungat veridicis te quoque Vatibus,
Christi te cano Martyrem.

Diri testis eras funeris, et comes,
Votis cum Domino fixus eras cruci ;
Hoc tantum licuit tunc tibi mutuis
Respondere doloribus.

Pendens funerea Christus ab arbore,
Te matri miserae jam sine filio,
Natum substituit. Credere Virginem
Quam par est tibi virgini !

Tali deposito quid pretiosius ?
Mater vera Dei jam tua dicitur,
Natus jure pari dicere ; mortui
Jacturam reparas Dei.

Christus vocis egens, te morientibus,
 Qua fas est, oculis discipulum docet,
 Ex illa cathedra quam cruor imbut,
 Terris praedicat omnibus.

Christi fide comes, passibus aemulis,
 Quo te duxit amor, te liceat sequi:
 Ingens ille mihi sit favor, et pati
 Cum Christo, simul et mori.

Sit laus summa Patri, summaque Filio;
 Sit par, sancte, tibi gloria, Spiritus:
 Haec est certa fides, fontibus e tuis
 Quam divinitus hausimus.

IN FESTO SS. INNOCENTIIUM.

AD OFFICIUM NOCT. ET SECUNDAS VESPERAS.

Salvete, flores Martyrum,
 In lucis ipso limine
 Quos saevus ensis messuit,
 Ceu turbo nascentes rosas.

Vos prima Christi victima,
 Grex immolatorum tener,
 Aram sub ipsam simplices
 Palma et coronis luditis.

Quid proficit tantum nefas?
 Quid crimen Herodem juvat?
 Unus tot inter funera
 Impune Christus tollitur.

Inter coevi sanguinis
Fluenta solus integer,
Ferrum quod orbabat nurus
Partus fefellit Virginis.

Sic dira regis impii
Edicta quondam fugerat,
Christi figuram praeferens,
Moses receptor civium.

Qui natus es de Virgine,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

AD LAUDES.

Molles in agnos ceu lupus,
Amens tyrannus irruit,
Et destinat promiscua
In strage Christum perdere.

Cunae redundant sanguine ;
Sed in Deum frustra furit :
Unum petit tot mortibus,
Mortes tot unus effugit.

Matres, querelis parcite ;
Quid rapta fletis pignora ?
Agnum salutis obsidem
Denso sequuntur agmine.

Qui natus es de Virgine,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI.

AD PRIMAS VESPERAS.

Debilis cessent elementa legis :
Sat diu mentes timor occupavit :
Foedus aeterni stabilire Jesus
Coepit amoris.

Sole de vero radius, paterni
Luminis purus sine nube splendor,
Probra peccati puer ecce tinctus
Sanguine praefert.

Stillat excisos pueri per artus
Efficax noxas abolere sanguis :
Obligat morti pretiosa totum
Stilla cruorem.

Haec dies nomen tibi comparavit,
O Puer, pronus quod adoret orbis ;
Et simul dici, simul ipse Jesus
Incipis esse.

Summa laus Patri ; simul aequa Nato,
Qui suo mundum redimit cruore :
Par sit amborum tibi laus per omne,
Spiritus, aevum.

AD OFFICIUM NOCT.

Felix dies, quam proprio
Jesus cruore consecrat!
Felix dies, qua gestiit
Opus salutis aggredi!

Vix natus, ecce lacteum
Profundit Infans sanguinem:
Libamen est hoc funeris,
Amoris hoc praeludium.

Intrans in orbem, jam Patris
Mandata promptus exsequi,
Statum praeoccupat diem,
Et qua potest fit victima.

Amore se facit reum,
Poenasque solvit innocens;
Sub lege factus legifer,
A lege nos ut eximat.

Quo Christus ictu laeditur,
Lex abrogata concidit;
Et incipit lex sanctior,
Mansura semper caritas.

Tu, Christe, quod non est tuum,
Nostro recide pectore:
Inscribe nomen, intimis
Inscribe legem cordibus.

Qui natus es de Virgine,
 Jesu, tibi sit gloria
 Cum Patre, cumque Spiritu,
 In sempiterna secula.

AD LAUDES.

Noxium Christus simul introivit
 Innocens orbem : Pater, inquit, adsum :
 Vindices poscat (venio paratus)
 Ultio poenas.

Non placet fusus cruor hostiarum :
 Quod mihi aptasti, Pater, ecce corpus ;
 Agnus implebo moriens figuras
 Verus inanes.

Dixit ; et Patris veneratus iram,
 Sustinet vulnus silicis cruentae ;
 Et jugum legis subit ipse, servis
 Ut juga demat.

Jam nihil carnem spoliare prodest ;
 Sed malas cordis resecare fibras ;
 Hoc opus ; tali nova sanciantur
 Foedera lege.

Summa laus Patri ; simul aequa Nato,
 Qui suo mundum redimit cruore :
 Par sit amborum tibi laus per omne,
 Spiritus, aevum.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Victis sibi cognomina
Sumant tyranni gentibus :
Tu, Christe, quanto dignius
Ab his capis quos liberas !

Non alterum mortalibus
Aegris quod invocent datum,
Resurgerent quo mortui,
Perenne per quod viverent.

Tanti quod illi constitit,
Toto quod emptum sanguine,
Nostro-ne rursus crimine
Insana gens delebimus ?

Sacro pati pro nomine,
Summi sit instar muneris :
Amara non mors amplius,
Fit mors per hoc amabilis.

Tu qui vocari sustines,
Jesu, salus mortalium,
Audi vocantes nos, tuo
Qui gloriamur nomine.

Qui natus es de Virgine,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

IN EPIPHANIA DOMINI.

AD PRIMAS VESPERAS.

Quae stella sole pulchrior
Coruscat? haec Regis novi
Revelat ortus: haec Dei
Praesignat ad cunas iter.

Stat vatibus priscis fides;
En stella surgit ex Jacob;
Arrectus ad spectaculum
Eous orbis emicat.

Dum sidus admonet foris,
Lux fulget intus clarior;
Suadetque vi blanda magos
Signi datorem quaerere.

Segnes amor nescit moras:
Labor, pericla, nil movent:
Domum, propinquos, patriam,
Deo vocante, deserunt.

Micante dum nos allicis,
O Christe, stella gratiae;
Ne tarda coelesti sinas
Obstare corda lumini.

Qui lumen est, sit laus Patri;
Qui se revelat gentibus,
Sit laus perennis Filio:
Par sit tibi laus, Spiritus.

AD LAUDES.

Linguunt tecta Magi principis urbis,
Et parvae cupidis moenia Bethleem
Votis praecipiant; jamque sub imo
Spe subnixa fides corde triumphat.

O qui laetitiae sensus, ut illis
Signans rursus iter stella refulsit: .
Incumbensque domo lampade prona,
Infantem exhibuit matris in ulnis!

Non hic splendet ebur, non micat aurum;
Non velat rutilans purpura corpus:
Horrens hic stabulum, regia; nudum
Hic praesepe, thronus; purpura, panni.

Reges pompa alios dives adornet:
Regnantem melius se probat ipse
In vili palea, paupere cultu,
Flectens imperio corda potenti.

Ad cunas humiles poplite curvo,
Praesens in Puerio Numen adorant:
Et nos ad Puerum, digna propago
Patrum, plena fide corda feramus.

Regi castus amor porrigat aurum;
Castigata homini corpora myrrham;
Instar thuris erunt vota precesque:
Illo thure Deum rite fatemur.

Qui fons luminis est, gloria Patri :
 Qui miro recreas lumine gentes,
 Aequalis tibi sit gloria, Nate :
 Amborum similis laus sit Amori.

AD VESPERAS.

Huc vos, o miseri: surda relinquit
 Quae caeci colitis, mutaue numina :
 Se vobis aperit splendida civitas,
 Veri Numinis hospita.

En vestrae praeunt primitiae Magi :
 Vatum dicta patent: exitialibus
 Errorum tenebris obsita gens diu,
 Miro lumine spargitur.

Ambo sic populi, dissociabilis
 Quos dudum paries separat, unicum
 In corpus coeunt. Hoc proprium modo
 Ambobus maneat decus!

O arcana Dei consilia! o tuo
 Deturbata gradu, primus amor Dei,
 Plebs Judaea! tuis gloria gentium
 Damnis, vitaeque nascitur.

Jam nativa oleae brachia decidunt,
 Rami degeneres, germen adulterum,
 Miraturque novos semine non suo
 Arbor crescere surculos.

Nos radix oleae sustinet. Ah! cave,
Qui stas, ne sterili deficias fide.
Tu ramos veteres insere denuo:
Tu serva, Deus, insitos.

Qui nos membra sacri corporis efficit,
Sit laus summa Patri: laus quoque Filio,
Cujus membra sumus: quo vigor influit
Membris, laus tibi, Spiritus.

INTRA OCTAVAM EPIPHANIAE.

AD OFFICIUM NOCT.

Qua lapsu tacito stella loquacibus
Scintillat radiis, huc oculis Magi,
Huc desideriiis, huc rapidis simul
Certant tendere passibus.

Ut ventum Solymam, non sine numine
Laetam stella facem, proh dolor! occultit;
Incertosque viae, ceu medio vagam
Cursu, destituit, ratem.

Illi, nil rabiem principis, invidas
Nil artes veriti, (tanta animis fides!)
Urbis per trepidae compita praedicant
Regem quaerere se novum.

Nec vos irrita spes decipiet, Magi;
 Quo divina vocat pagina, tendite:
 Illic quem sua plebs respuit, exteris
 Regem nosse Deum datur.

Sit laus summa Patri, summaque Filio;
 Amborum sit idem Spiritui decus,
 Qui, dum stella pedes praevia dirigit,
 Dux mentem melior monet.

IN OCTAVA EPIPHANIAE.

AD PRIMAS VESPERAS.

Clamantis ecce vox sonans
 Deserta Judaeae quatit:
 Mox ad Joannem confluunt,
 Quos criminum moles gravat.

En ipse permistus reis
 Accedit Agnus innocens;
 Agnus suo qui sanguine
 Piabit orbis crimina.

Sub nube carnis at suum
 Lucerna Solem detegit;
 Lymphis nec audet tingere,
 A quo lavari debuit.

Parere sed fas est Deo,
 Vel quando sese deprimit:
 Hunc omne virtutum genus
 Implere nempe sic decet.

Agnosce, Praecursor, tibi
Intus revelat quem Deus :
Tu mergis undis corpora,
Hic corda mundat Spiritu.

Mundi scelus qui diluis,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

AD OFFICIUM NOCT.

Non abluunt lymphae Deum,
Sed abluit lymphas Deus ;
Carnisque contactu sacrae
Vim dat lavandi criminis.

Promissus ecce jam patet
Fons abluendis cordibus.
Res mira ! tingitur caro,
Mentisque labes tollitur.

His tincta nam canalibus
Regis supremi purpura
Tinctos cruentat, et nivis
Instar dat esse candidos.

Foecunda sancto Spiritu
Virgo Deum nobis parit :
Foecunda sancto Spiritu,
Nunc unda nos parit Deo.

Mundi scelus qui diluis,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

AD LAUDES ET VESPERAS.

Emergit undis, et Deo
Fundit preces homo Deus :
Patet polorum regia,
Adest repente Spiritus.

Instar columbae, vertici
Illapsus insidet sacro ;
Summi Patris vox personat :
Dilectus hic est Filius.

Christi dicata corpore
Sic quem lavacra consecrant,
Hic nascitur proles Dei ;
Coelum precanti panditur.

Castis fit, expers sordium,
Columba simplex moribus :
Divinus hunc intus regit,
Agit, fovetque Spiritus.

O Christe, sacri gurgitis
Quos abluisti fontibus,
Tuo cruore candidos
Fac nulla labes inquinet.

Mundi scelus qui diluis,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

IN DOMINICIS AB OCTAVA
EPIPHANIAE,

*Ad Praesentationem Domini, nisi prius
occurrat Septuagesima.*

AD PRIMAS VESPERAS.

Verbum quod ante secula
Sinu paterno nasceris,
Recens homo sub tempore
E Virginis prodis sinu.

Fatale rumpis vinculum,
Quo nos Adamus nexuit:
Reddis quod ille perdidit:
Spes illa tecum nascitur.

Jam dura discis perpeti
Quae ferre par sontes fuit:
Orbis saluti, fletibus
Praeludis in cunis puer.

Fis pauper, indigentia
Et nos tua ditescimus:
Luges; tuis et lacrymis
Totum lavas mundi scelus.

Pannis opertus vilibus
Lates, recumbens in specu:
Homo, superbis! et Deum
Panni, specus non dedecent.

A Patre missus, perdit
Qui factus es mundi salus,
Jesu, perire ne sinas
Tot quos emis laboribus.

Qui natus es de Virgine,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

AD OFFICIUM NOCT.

Fac, Christe, nostri gratia,
Defuncte tot laboribus,
Ut mente grata, sic piis
Hos praedicari cantibus.

Castae parentis in sinu
Inclusus ardebas pati:
Aeternus ut discas mori,
Mortale corpus induis.

Vix natus, imbellis puer,
Acuta sentis frigora;
En vile pro molli thoro
Foenum tibi supponitur.

Amore te facis reum :
Fers sponte poenas innocens ;
Nec eximis te legibus,
Supremus ipse legifer.

Qui primus excisa cruor
E parte stillat corporis,
Membris micans ex omnibus,
Torrentis instar proruit.

Qui mucro lactentes necat,
Idem tuum pectus fodit,
Et quo cadebant parvuli,
Hoc tu cadebas vulnere.

Exul Deus prompta fuga
Tuae saluti consulis ;
Intras Pharon verax Deus,
Mistus Diis mendacibus.

Qui natus es de Virgine,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

AD LAUDES.

Divine, crescebas, Puer,
Crescendo discebas mori :
Haec destinata tunc erant
Mortis tuae praeludia.

Satus Deo, volens tegi,
Elegit obscurum Patrem:
Qui fecit aeternas domos,
Domo latet sub paupere.

Coelum manus quae sustinent,
Fabrile contrectant opus;
Supremus astrorum Parens
Fit ipse vilis artifex.

Tremenda cujus praepetes
Mandata portant Spiritus,
Cui pronus orbis subditur,
Se sponte fabro subjicit.

Qui natus es de Virgine,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

AD VESPERAS.

Christus tenebris obsitam
Lustrando Judaeam docet:
Gens obstinato pectore
Christum docentem respuit.

Sese Deum signis probat;
Surgunt sepulcris corpora;
Erepta muto vox redit,
Claudo gradus, caeco dies.

Gens dura, flecti nescia,
Aures sacris sermonibus
Obturat; et solem fugit,
Amore noctis perdita.

Nos lumen ambimus, Patris
In quo refulget claritas:
Ne mentibus subrepere
Tetram sinas caliginem.

Nunquam recedas a piis,
Lux sempiterna, cordibus;
Te veritate fulgeant,
Te caritate ferveant.

Qui natus es de Virgine,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

IN SABBATO
ANTE SEPTUAGESIMAM.

AD VESPERAS.

Te laeta, mundi Conditor,
Unum manet semper quies:
Festiva coelestes choros
Semper decent praeconia.

Nos, sanctitate perdita,
Poenalis expectat labor :
Hymnos ne dulces patriae
Moesti canamus exules ?

Qui te piis placabilem
Spondes futurum fletibus,
Lugere da longi, Pater,
Delicta, causas exili

Verum salubrem temperet
Spe nixa moerorem fides ;
Tu mox quieti nos tuae,
Laetisque reddes canticis.

Sit summa Patri gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
Nunc, et per omne seculum.

IN

DOMINICIS A SEPTUAGESIMA
AD QUADRAGESIMAM.

AD OFFICIUM NOCT.

Rebus creatis nil egens,
Temet beatus, nunc tuo
Prodis ab arcano, Deus,
Mundoque das primordia.

Tu cuncta quae non sunt vocas,
Et illa se sistunt tibi;
Miroque concentu, suo
Dant conditori gloriam.

At mundus e sinu tuo
Dum prodit aspectabilis,
Augustiorem cogitas
Mundum, Creator, alterum.

Illum Redemptor artifex
Virtutibus condet suis,
Sparsoque terris omnibus
Verbi potentis semine.

Illum, peractis seculis,
Coelo locabit; et throni
Mensaeque consortem suae
Deo redonabit Patri.

Utrique mundo qui praees,
Utrumque conserva, Pater:
Utrumque, Fili, dirige:
Utrumque, Flamen, consecra.

AD LAUDES.

Qui nos creas solus, Pater,
De pristino lapsos statu
Non solus instauras: simul
Nostros labores exigis.

Delicta poenitentibus
Clemens relaxas; improbos
Vocas morantes, et viam
Erroris urges linquere.

Scelus remordet; intimo
Pectus dolore scinditur:
Ultoris et partes Dei
Exercet in semet nocens.

Vitare plagas admonet
Aegre recepta sanitas;
Et arctiorem sensuum
Hortatur ad custodiam.

Divina non scrutabilis
O altitudo consili!
Sic vel malorum providus
Educis e sinu bona.

At obstinatis vindicem
Iram reservas: mergitur
Scelestus orbis; unicus
Noe superstes effugit.

Hic, praeco poenitentiae,
Novi sequester foederis,
Servator orbis et parens,
Christi figuram praetulit.

Sit laus Patri, laus Filio;
Utrumque qui nectis Deus,
Utrique compar, sit tibi
Laus sempiterna, Spiritus.

AD VESPERAS.

Vos ante Christi tempora,
Christi fideles asseclae,
Verenda justorum cohors,
Primique credentum patres :

Vestram quis o dignis queat
Efferre laudibus fidem ?
Crebros anhelantis spei
Quis explicet suspiritus ?

Hic exules, hic advenae,
Mundi figuram spernitis :
Non littera, sed spiritu,
Promissa pensatis bona.

Intenta mens uni Deo
Respectat aeternas domos :
Fac, Christe, nos veram quoque
Desiderare patriam.

Sit laus Patri ; laus Filio :
Utrumque qui nectis Deus,
Utrique compar, sit tibi
Laus sempiterna, Spiritus.

IN QUADRAGESIMA.

AD OFFICIUM NOCT.

Quod lex adumbravit vetus,
Quod ipse sacravit novi
Christus minister foederis,
Decurrimus jejunium.

Utamur ergo parcius
Verbis, cibis et potibus,
Somno, jocis ; et arctius
Perstemus in custodia.

Intenta mens cupidinis
Fraenet rebelles impetus ;
Ne cordis arcem, janua
Qua se dat, hostis occupet.

Omnes ad aram cernuo
Vultu precemur supplices :
Ploremus, atque vindicem
Flectamus iram Judicis.

Judex tremende, nos premit
Immensa moles criminum :
Immensa sed, clemens Pater,
Parcendo vinces crimina.

Nos, testa quamquam fictilis,
Opus tuum sumus tamen :
Perire ne plebem sinas
Christi redemptam sanguine.

•

Quod fecimus sana malum ;
Auge bonum quod poscimus :
Da corde contrito, Deus,
Tuam mereri gratiam.

Praesta, beata Trinitas ;
Concede, simplex Unitas,
Ut fructuosa sint tuis
Jejuniorum munera.

AD LAUDES.

Solemne nos jejunii
Nunc tempus ad planctum vocat ;
Plorat sacerdos ; flebili
Clamore templa personant.

Lugubris at frustra sonus
Ad Numen iratum venit,
Ni corde pulsus intimo
Sensum doloris indicet.

Nil frontibus sparsus cinis,
Nil scissa vestis proderit,
Ni fracta scindantur simul
Vivo dolore pectora.

Vultum rigantes fletibus
Flectamus iram Numinis,
Quae criminis nostri memor,
Intentat ultrices minas.

O juste Judex! o Deus!
 Sis lentus ad poenam, Pater:
 Das poenitendi tempora,
 Et cor simul da poenitens.

Praesta, beata Trinitas;
 Concede, simplex Unitas;
 Ut fructuosa sint tuis
 Jejuniarum munera.

AD VESPERAS.

Audi, benigne Conditor,
 Nostras preces cum fletibus,
 In hoc sacro jejunio
 Fusas quadragenario.

Scrutator alme cordium,
 Infirma tu scis virium;
 Ad te reversis exhibe
 Remissionis gratiam.

Multum quidem peccavimus;
 Sed parce confitentibus:
 Ad nominis laudem tui
 Confer medelam languidis.

Sic corpus extra conteri
 Dona per abstinentiam,
 Jejuset ut mens sobria
 A labe prorsus criminum.

Praesta, beata Trinitas ;
Concede, simplex Unitas,
Ut fructuosa sint tuis
Jejuniorum munera.

AD COMPLETORIUM.

O splendor aeterni Patris,
Tu, Christe, qui verus dies,
Et vera lux de lumine,
Mentis fugas caliginem :

En solis abcessit jubar,
Noctisque succedunt vices :
Qui prosperum donas diem,
Da tuta noctis otia.

Si clausa torpent lumina,
Suspiret ad te mens vigil ;
Potente, qui te diligunt,
Servos tuere dextera.

Tu, quos molesti corporis
Gravis retardat sarcina,
Fac mentis alis libero
Sursum volatu tendere.

O spes salutis unica,
Votis adesto supplicum :
Defende quos mercatus es,
Mercede fusi sanguinis.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
Nunc, et per omne seculum.

IN
FESTO QUINQUE PLAGARUM
CHRISTI.

Feria Sexta post Cineres.

AD PRIMAS ET SECUNDAS VESPERAS.

Prome vocem, mens, canoram,
Plange tristi carmine ;
Dic Crucifixi dolores,
Mortui dic vulnera,
Innocens quae sponte Christus
Pro reis fert victima.

Caesus immiti furore
Nostra propter crimina,
Nos suo livore sanat,
Nos jacentes erigit ;
Et foveat plagas tumentes,
Et cruentas alligat.

Trans manus pedesque fixus,
Nostra rumpit vincula :
Totque fontes sunt salutis,
Quot fluit plagis cruor ;
Et quibus clavis tenetur,
Nos tenet fixos cruci.

Mortui pectus sacratum
Vulneratur lancea ;
Inde sanguis mistus unda
Fervidus prolabitur :
Ad lavacrum praebet undam,
Ad coronas sanguinem.

Fac, Redemptor, hauriamus
His aquas de fontibus ;
Poculum sint ac medela,
Sint et olim praemium ;
Ut redemptus te per omne
Laudet orbis seculum.

AD OFFICIUM NOCT.

Lugete, pacis Angeli :
Mortalis en ultro Deus,
Culpa gerens imaginem,
Poenam nocentum sustinet.

Amoris O miraculum !
O cordis humani stupor !
Insons Deus neci datur ;
Pigebit et sontes pati ?

Nos sempiternis crux tua
 O Christe, flammis eruit :
 Hic ure vindex, hic seca,
 Parcas in aeternum modo.

Caro reclamation; sed Patris
 Urget voluntas : nos tua
 Virtute da fortes sequi,
 Jesu, quod exemplo doces.

Livore sanatos tuo,
 Tuoque lotos sanguine,
 Peccando ne novam sinas
 Parare nos tibi crucem.

Qui Filium tradit, Patri,
 Natoque sit laus victimae :
 Par sit tibi laus, qui sacram
 Succendis aram, Spiritus.

AD LAUDES.

Quae te pro populi criminibus nova
 Insontem properat perdere caritas ?
 Quid non pro misera gente luis volens
 Factus victima Pontifex ?

Clavi qui geminum transadigunt pedem,
 Captivos laqueo daemonis eruunt ;
 Transfixaeque manus excutiunt vetus,
 Quo mundus premitur, jugum.

Obstetrix penitus lancea perforat,
Quo nos parturiat, pectus amabile :
Hoc quae fonte fluit, nos aqua, nos cruor,
Sanat, liberat, abluit.

O vitae latices, vivida flumina !
O sacros aditus pectoris intimi !
O petrae solidae tuta foramina !
O cordis penetralia !

Te si nostra, Pater, crimina provocant,
Nati sacra lubens vulnera respice,
Cum noster laceras objiciet tuis
Judex fulminibus manus.

Fac per saeva, Pater, vulnera, per cruces,
Sic aeterna tuos quaerere gaudia,
Ut cum Prole tibi jugiter, ac tuo
Reddant Spiritui decus.

IN DOMINICA PASSIONIS.

Quinta Quadragesimae.

AD PRIMAS VESPERAS.

Fando quis audivit, Dei
Quis grande dicat brachium ?
Percussa mens confunditur ;
Stupet fides, vox deficit.

Ab orbe, Jesu, condito
Occisus Agnus, nunc Patri
Priscis adumbratam sacris
Ardes litare victimam.

At cur humi stratus jaces ?
Quis iste moerentis pavor ?
Quis iste qui toto fluit
Sudor cruentus corpore ?

Hunc vis doloris exprimit,
Horrorque teter criminum :
Vices nocentum sustinens,
Iram reformidas Patris.

Te terret objectus calix :
At ille, ni totum bibas,
Per sempiterna nos manet
Exhauriendus secula.

Vincet pavorem caritas ;
Vincet voluntas patria :
Temet potestati, Deus,
Tradis tenebrarum volens.

Et jam flagellis, ictibus,
Ludibriis, spinis, cruci,
Piacularis hostia,
Voves adorandum caput.

Qui Filium tradit, Patri,
Natoque sit laus victimae ;
Par sit tibi laus, qui sacram
Succendis aram, Spiritus.

AD OFFICIUM NOCT.

Opprobriis, Jesu, satur,
Ligni fatiscens pondere,
Feriale, verus Isaac,
Mactandus ascendis jugum.

Clavis statim trabalibus
Fixus manus, fixus pedes,
Sublime terris omnibus
Attolleris spectaculum.

In nos o aeterni Patris
Incomprehensa caritas!
Insons cruentae Filius
Pro sontibus morti datur.

Illo lavari sanguine
Opportuit mundi scelus;
Talem severa Numinis
Poscebat ira victimam.

Crux debitae nos vinculo
Damnationis eximit;
Et pacis aeterno ligat
Terras polumque foedere.

Qui Filium tradit, Patri,
Natoque sit laus victimae:
Par sit tibi laus, qui sacram
Succendis aram, Spiritus.

AD LAUDES.

Dum, Christe, confixus cruci
Agis supremos spiritus,
Fas nos salubri figere
Intenta ligno lumina.

Anguis veneno perfidi
Inflicta nobis vulnera,
Pendentis e celsa trabe
Sanabit aspectus Dei.

Hic nos olympto parturis;
Hic Martyres formas tuos;
Hic ultimo sanctam fidem
Fundas amoris pignore.

Hinc cuncta terrarum, suo,
Regnator ut sedens throno,
Utrinque protensae manus
Virtute divina trahis.

Nos ergo coelestis thronum
Sinus adire gratiae,
Pedemque complexos crucis
Tuo rigari sanguine.

O spes salutis omnium,
Crux vera mundi gloria,
Infixa semper haereas
Imisque regnes cordibus.

Qui Filium tradit, Patri,
Natoque sit laus victimae:
Par sit tibi laus, qui sacram
Succendis aram, Spiritus.

AD VESPERAS.

Vexilla Regis prodeunt:
Fulget crucis mysterium,
Quo carne carnis Conditor
Suspensus est patibulo.

Quo vulneratus insuper
Mucrone diro lanceae,
Ut nos lavaret crimine,
Manavit unda et sanguine.

Impleta sunt quae concinit
David fideli carmine,
Dicens: In nationibus
Regnavit a ligno Deus.

Arbor decora et fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.

Beata cujus brachiis
Secli pependit pretium,
Statera facta corporis,
Praedamque tulit tartari.

O Crux, ave, spes unica ;
 Hoc Passionis tempore,
 Auge piis justitiam,
 Reisque dona veniam.

Te, summa Deus Trinitas,
 Collaudet omnis spiritus :
 Quos per Crucis mysterium
 Salvas, rege per secula.

IN COMPASSIONE BEATAE
 MARIAE.

Feria Sexta post Dominicam Passionis.

AD PRIMAS VESPERAS ET OFFICIUM
 NOCT.

Dum spargit aram sanguine
 Jesus salutis hostia,
 Praesens doloris aemulum
 Maria pectus immolat.

Caput cruentum Filii
 Matris coronat verticem :
 Clavis iisdem figitur
 Christus cruci, Christo parens.

O passionis mutuae,
 Jesu, Maria, conscii !
 Alterna vobis vulnera
 Inferre tandem parcite.

Quem vos doletis, noster est
Error, furorque criminum :
Totum scelus fatentibus
Partem doloris reddite.

Qui natus es de Virgine,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

AD LAUDES.

Illaesam, te, puerpera,
Non fecerat matrem dolor ;
Nascente quem nesciveras,
Orbata sentis Filio.

Dum te salutat ultimum,
Natoque tradit alteri,
Natumque tradit alterum,
In morte Christum parturis,

Non ejulantem cernimus,
Non ungue vellentem comas :
Silensque plus novit pati
Virtus dolore fortior.

Qui natus es de Virgine,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

IN TEMPORE PASCHALI,

Usque ad Ascensionem Domini.

AD OFFICIUM NOCT.

Adeste, Coelitem chori,
Laetum sonantes canticum,
Dum liber inter mortuos,
Christus sepulchrum deserit.

Frustra sepulcro milites
Apponit insanus furor :
Frustra specus gens perfida
Firmat sigillis ostium.

Inanis absistat metus :
Hinc nemo corpus auferet,
Sed vi reviviscet sua
Qui sponte mortem pertulit.

Clausa, sigillis integris,
Exire spelunca potest,
Quem matris alvo Virginis
Effudit illaesus pudor.

Ridebat hunc turpi trabe
Vesana pendentem cohors :
Descendat, inquit, et Deum
Illi Patrem fatebimur.

At tu, paternis obsequens
Ad usque mortem legibus,
Orbem sacerdos victima
Toto piabas sanguine.

Non ille descendit cruce ;
Plus fecit : ecce mortuus
Se reddit ipse lumini,
Deo natum jam credite.

Da, Christe, nos tecum mori ;
Tecum simul da surgere :
Terrena da contemnere ;
Amare da coelestia.

Sit laus Patri ; laus Filio,
Qui nos, triumphata nece,
Ad astra secum dux vocat :
Compar tibi laus, Spiritus.

AD LAUDES.

Aurora lucis dum novae
Spargit polum fulgoribus,
Victoris Agni jubilans
Orbis triumphos personet.

Fuso Redemptor sanguine
Piavit orbis crimina :
Scissoque sanctuarium
Patere dat velamine.

Granum solo reconditum
 Iners manere non potest ;
 Vix mortuum jam germinat :
 Hinc quanta pullulat seges !

Non destruuntur funere,
 Sed seminantur corpora ;
 Fecit resurgendi viam
 Surgens ab inferis Deus.

Affixa cum Christo cruci,
 Christo caro commortua,
 Et ipsa surget splendidis
 Christi decora dotibus.

Da, Christe, nos tecum mori ;
 Tecum simul da surgere :
 Terrena da contemnere ;
 Amare da coelestia.

Sit laus Patri ; laus Filio,
 Qui nos, triumphata nece,
 Ad astra secum dux vocat :
 Compar tibi laus, Spiritus.

AD PRIMAM, TERTIAM, SEXTAM,
 ET NONAM.

(In finem Hymnorum.)

Da, Christe, nos tecum mori ;
 Tecum simul da surgere :
 Terrena da contemnere ;
 Amare da coelestia.

Sit laus Patri ; laus Filio,
Qui nos, triumphata nece,
Ad astra secum dux vocat :
Compar tibi laus, Spiritus.

AD VESPERAS.

Forti tegente brachio,
Evasimus rubrum mare,
Tandemque durum perfidi
Jugum tyranni fregimus.

Nunc ergo laetas vindici
Grates rependamus Deo ;
Agnique mensam candidis
Cingamus ornati stolis.

Hujus sacrato corpore,
Amoris igne fervidi,
Vescamur atque sanguine :
Vescendo, vivimus Deo.

Jam Pascha nostrum Christus est,
Hic agnus, haec est victima,
Cruore cujus illitos
Transmittit ultor Angelus.

O digna coelo victima,
Mors ipsa per quam vincitur,
Per quam refractis inferi
Praedam relaxant postibus.

Christus sepulcri faucibus
 Emersus ad lucem redit;
 Hostem retrudit tartaro,
 Coelique pandit intima.

Da, Christe, nos tecum mori;
 Tecum simul da surgere:
 Terrena da contemnere;
 Amare da coelestia.

Sit laus Patri; laus Filio,
 Qui nos, triumphata nece,
 Ad astra secum dux vocat:
 Compar tibi laus, Spiritus.

AD COMPLETORIUM.

Jesu, redemptor seculi,
 Qui tertio post funera
 Redux ab inferis die,
 Mortem resurgendo necas.

Nox atra jam terras premet,
 Mergetque somno lumina:
 Hostis furorem perfidi,
 Artesque coecas disjice.

Ut justa dum curas levat,
 Et corpus instaurat quies:
 Sic membra somnus occupet,
 Ne corda torpor opprimat.

Da, Christe, nos tecum mori ;
Tecum simul da surgere :
Terrena da contemnere ;
Amare da coelestia.

Sit laus Patri ; laus Filio,
Qui nos, triumphata nece,
Ad astra secum dux vocat :
Compar tibi laus, Spiritus.

IN ASCENSIONE DOMINI.

AD PRIMAS ET SECUNDAS VESPERAS.

Opus peregristi tuum :
Te, Christe, victorem necis
Aeterna, quam reliqueras,
Coelo reposcit gloria.

Jam nube vectus fulgida,
Terras jacentes despicias :
Educta longo carcere
Regem sequuntur agmina.

Mirante turma coelitem,
Panduntur aeternae fores ;
Ovansque sublimem Patris
Homo Deus scandis thronum.

Illic patronus, pontifex,
Pacis sequester, quem tua
Semel profudit caritas,
Offerre pergis sanguinem.

Illinc adornas et foves
Ecclesiam sponsus tuam;
Cunctisque vitam dividis,
Infusa ceu mens, artubus.

Illinc tot inter praelia
Periclitantem sustines;
Das militanti vincere,
Palmam triumphanti paras.

Quo, Christe, praecedis caput,
Huc integrum corpus vocas:
Vestigiis tritam tuis
Fac membra sectentur viam.

Qui victor ad coelum redis,
Jesu, tibi sit gloria,
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

AD OFFICIUM NOCT.

Promissa, tellus, concipe gaudia;
Te fausta coelo conciliat dies:
Deus tumentes ponet iras:
Sancta tuus Mediator intrat.

Tu, Christe, victor mortis et inferi,
Cruore partam suscipe gloriam:
Procede, regna, sume sceptrum:
Subjicitur tibi totus orbis.

Quid obstupentes suspicitis polo,
O vos, euntem, discipuli, Deum?
Ut nunc Redemptor, scandit astra,
Sic veniet metuendus ultor.

O Christe, dextrae qui Patris assides,
Fac nos triumphi participes tui:
Certamen urget: militemus,
Et duce te, superemus hostem.

Laus summa Patri, qui Genitum polo
Pacis perennis suscipit obsidem:
Laus, qui triumphat, summa Nato:
Par tibi laus, utriusque Nexus.

AD LAUDES.

Jesu, nostra redemptio,
Amor et desiderium,
Deus creator omnium,
Homo in fine temporum.

Quae te vicit clementia,
Ut nostra ferres crimina,
Crudelem mortem patiens,
Ut nos a morte tolleres?

Inferni claustra penetrans,
Tuos captivos redimens,
Victor triumpho nobili,
Ad dextram Patris residens.

Ipsa te cogat pietas
 Ut mala nostra superes
 Parcendo, et voti compotes
 Nos tuo vultu saties.

Tu esto nostrum gaudium,
 Qui es futurus praemium:
 In te sit nostra gloria
 Per cuncta semper secula.

IN OCTAVA ASCENSIONIS.

AD PRIMAS VESPERAS.

Felix dies mortalibus,
 Qua per profusum sanguinem
 Homo Deus clausas diu
 Intravit aeternas domos!

Nos membra, quo nostrum caput,
 Quo dux praeivit, ibimus:
 Si jungat una mens simul,
 Nos una junget gloria.

Discessit et suis adest,
 Praesente semper Spiritu,
 Miscens suo se corpori
 Omnes in artus influit.

At illa quae! qualis dies!
 Dies tremenda sontibus,
 Dum sede descendens sua
 Redibit ultor criminum.

Damnatus insons a reis
Partes resumet iudicis,
Ad cujus ora contremant
Dijudicandi iudices.

Ut morte dignos solveret,
Morti volens se subdidit :
Cui mors Dei non proderit,
Vindicta qualis imminet !

Quem noxa lethalis premit,
Praevertat iram Numinis ;
Largisque prudens debitos
Extinguat ignes fletibus.

Venture Iudex seculi,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

AD OFFICIUM NOCT.

Sensus quis horror percutit ?
Coelum profundum scinditur :
Christum sedentem nubibus
Hinc inde stipant agmina.

Feralis ad sonum tubae
Mors jussa reddit mortuos,
Quos ad tribunal Iudicis
Urgent coactos Angeli.

Pios locans ad dexteram,
 Repellit ad laevam reos :
 Novit gregem Pastor suum,
 Oves ab haedis segregat.

Ad Judicis sedent latus,
 Quicumque, spretis omnibus,
 Fugere mundum pauperes,
 Deum secuti pauperem.

Cruce ante Judaeis probrum,
 Ludibrium cruce gentibus,
 Terror reis, probis amor,
 Summo micabit aethere.

Fixere quem dirae trahi,
 Cernent, pavebunt, ingement :
 Vultu beabit quo suos,
 Hoc territabit impios.

Fac, Christe, ne mores bonos
 Contage mundus inquinat :
 Secerne nos ab improbis
 Ne misceamur sordibus.

Venture. Judex seculi,
 Jesu, tibi sit gloria
 Cum Patre, cumque Spiritu,
 In sempiterna secula.

AD LAUDES ET VESPERAS.

Nobis, olympo redditus
 Qui, Christe, sedes praeparas,
 Nos exules in patriam
 Trahas amoris nexibus.

Bonis abundans omnibus,
Ingens eris merces, Deus.
Quam longa pro poena brevi
Tuos manebunt gaudia!

Tunc ore nudo, qualis es,
Quantusque, te videbimus,
Amabimus te jugiter,
Te jugiter laudabimus.

Si quos amas, non deseris,
Nostrae salutis obsidem
Mittas ab altis sedibus,
Qui nos adoptet, Spiritum.

Venture Judex seculi,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

IN VIGILIA PENTECOSTES.

AD OFFICIUM NOCT.

O Christe, qui noster poli
Praecursor intras regiam,
Quos hic jacentes respicis,
Sursum voca, sursum rape.

Ad illa fac nos currere,
Amore casto gaudia,
Terrena quae mens non capit,
Quae sola perspicit fides:

Ubi laborum praemium
 Dat ipse se suis Deus;
 Et ut beatos expleat,
 In omnibus fit omnia.

Qui nos ad istam gratia
 Ducat potenti gloriam,
 Nunc e supernis sedibus
 Emitte nobis Spiritum.

Qui patris ad dextram sedes,
 Jesu, tibi sit gloria
 Cum Patre, cumque Spiritu,
 In sempiterna secula.

AD LAUDES.

Supreme Rector coelitem,
 Qui morte devicta potens,
 Cruore signatam tuo
 Ad astra pandis semitam:

Alto benignus e throno,
 E Patris almi dextera,
 Quos hic relinquis orphanos,
 Non intueri desinas.

Nos, Christe, tot doloribus
 Quos parturisti, respice;
 Quos obstetrice lancea
 Apertus effudit sinus.

Parta tuis laboribus
Jam tu potiris gloria:
Nunc hora; promissum Patris
Nunc mitte nobis Spiritum.

Qui Patris ad dextram sedes,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

IN DIE PENTECOSTES.

AD PRIMAS VESPERAS.

Veni, superne Spiritus:
Purgata Christi sanguine,
Tuique terra jam capax,
Expandit arentes sinus.

Christi petentis aethera
Exsolve promissam fidem,
Et nostra praesens igneo
Munda lavacro pectora.

Lugemus amissum Patrem;
Te nostra tangat orbitas:
Solare moestos; anxiis
Spem redde, qui solus potes.

Docere quae Christus rudes
Prudens alumnos distulit,
Haec praeparatis insere
Novus magister mentibus.

Olim per umbras vatibus
 Retecta paucis veritas,
 Nunc orbe toto dissitis
 Per te patescat gentibus.

Divina jam nos unctio
 Informet omnes: hactenus
 Mutis aratam litteris
 Inscribe legem cordibus.

Sit laus Patri; laus Filio:
 Utrumque qui nectis, Deus,
 Utrique compar, sit tibi
 Decus perenne, Spiritus.

AD OFFICIUM NOCT.

Inter sulphurei fulgura turbinis,
 Flammarumque globos et sonitum tubae,
 Antiquam veteri, monte Sina super,
 Legem das populo, Deus.

His infida probas corda pavoribus;
 Et peccare vetas, aut pretium mori:
 Verum terribiles quid parient minae?
 Quo tantus recidet tremor?

En fumantis adhuc montis ad infima
 Plebs oblita datam continuo fidem,
 Brutam perfida plebs effigiem colit,
 Veri Numinis in locum.

Heu mens nostra, Deus, te sine quid potest?
Lucem prome animis; cordis aheneam
Molli duritiem; redde, potes, Deus,
Voci nos dociles tuae.

Sit laus summa Patri, summaque Filio;
Sit par, alme, tibi laus quoque, Spiritus,
Per quem legis amor cordibus insitus
Dat quod lex jubet, exequi.

AD LAUDES.

Audimur: almo Spiritus
Descendit e sinu Patris,
Aegrisque fert mortalibus
Promissa coeli munera.

Quot proditur miraculis
Praesentis adventus Dei!
Jam tota sublimi domus
Repente flatu personat.

Puro caducus aethere,
Candentis ad linguae modum,
In consistentum verticem
Ignitus imber depluit.

Quae flamma summas alluit
Innoxio tactu comas,
Haec gliscit arcanis simul
In pectus et mentem viis.

Stupente turba gentium,
Linguis loquuntur omnibus,
Vatum crepant oracula;
Quidquid profantur, ignis est.

Inter profundum, Spiritus
In audientes irruit,
Instincta quo passim nova
Surgit Prophetarum seges.

Sit laus Patri; laus Filio:
Par sit tibi laus, Spiritus,
Afflante quo mentes sacris
Lucent et ardent ignibus.

AD TERTIAM.

Veni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia
Quae tu creasti pectora.

Qui Paracletus diceris,
Donum Dei altissimi,
Fons vivus, ignis, caritas,
Et spiritalis unctio;

Tu septiformis munere,
Dextrae Dei tu digitus,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura:

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus;
Ductore sic te praevio,
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Te utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Sit laus Patri; laus Filio;
Par sit tibi laus, Spiritus,
Afflante quo mentes sacris
Lucent et ardent ignibus.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Quo vos Magistri gloria, quo salus
Invitat orbis, sancta cohors, Dei
Portate verbum: vos reposcit
Prima seges, pia cura fratrum.

Proh! quanta messis protinus extitit!
Ter mille verbum concipiunt viri:
Deoque maturante, reddunt
Multiplicem, bona terra, fructum.

Compuncta passim pectora fletibus
 Moerent amaris, atque piaculo
 Ardent salutaris lavacri
 Praeteritas abolere labes.

At non Hebraeis limitibus sacer
 Haerebit ardor. Sol habitabiles
 Qua lustrat oras, hac triumphis
 Materies patet ampla vestris.

Jam mille divum templa solo ruunt:
 Cedit superbae vis sapientiae,
 Cedunt tyranni, victa cedit
 Carnificum rabies furentum.

Novum potentis gratia Spiritus
 Creavit orbem: nos quoque, nos tuae
 Succendat ardor caritatis,
 Alme Deus, renovetque totos.

Laus summa Patri, summaque Filio;
 Sit, sancte, compar laus tibi, Spiritus,
 Quo dua mitescunt, novasque
 Concipiunt pia corda flammæ.

AD COMPLETORIUM.

Adsis superne Spiritus,
 Pater benigne pauperum:
 Sinuque fundas uberi
 Promissa terris munera.

Dum nox creati luminis
Jubar tenebris obruit,
Splendere tu non desinas,
Lux increata mentium,

Tu cordis hospes intimus,
Dulcis laborum tu quies;
Tu fletibus quos elicis
Divina misces gaudia.

Totius o fons gratiae,
Certare da nos fortiter:
Certantibus da vincere,
Vincentibus da praemium.

Sit laus Patri, laus Filio:
Par sit tibi laus, Spiritus,
Afflante quo mentes sacris
Lucent et ardent ignibus.

IN FESTO TRINITATIS.

AD PRIMAS VESPERAS.

Ter sancte, ter potens Deus,
Incomprehensa Trinitas:
O lux perennis! propriis
O ter beata gaudiis!

O vera semper Unitas!
O una semper Veritas!
O sancta semper, quae bonum
Diffundis omne, Caritas!

Te densa circum nubila,
 Te circum inaccessum jubar,
 Quod intus ardent Angeli
 Circum trementes cernere.

Te confitetur in tuo
 Et plebs renata nomine;
 Firmaque praelibat fide
 Amor quod ambit praemium.

Da posse quod jubes, Pater:
 Da scire, Fili, quod doces:
 Fac corde toto, Spiritus,
 Nos velle quod probas bonum.

Praesta, Pater piissime,
 Patrique compar Unice,
 Sancto simul cum Spiritu,
 Regnans per omne seculum.

AD OFFICIUM NOCT.

Sublime Numen, ter potens, ter maximum,
 Incomprehensum lucis immensae jubar,
 Simplex et unus, et tribus constans Deus,
 Te res creatae laude jugi concinant.

Tu Trinitatis fons inexhaustus, Pater,
 Filique nascens Patris aeterno sinu,
 Ac sanctè manans e duobus Spiritus,
 Nil vos in una dividit substantia.

Persona triplex : una jungit Unitas,
In Patre semper Natus ; in Nato Pater ;
Uterque sacro semper est in Spiritu ;
In Patre semper, inque Nato Spiritus.

Sed nullus horum quemlibet vincit, gradu
Vel major extat, vel prior potentia :
Aequale regnum, parque majestas trium,
Origo nulli dignius confert bonum.

Rerum creator, laus tibi, vivens Pater :
Laus aequa, mundum qui redemit, Filio :
Quo nos supernis ignibus succendimur,
Compar in aevum Flamini sit gloria.

AD LAUDES.

O luce quae tua lates,
Beata semper Trinitas,
Te confitemur, credimus,
Pioque corde quaerimus.

O sancte sanctorum Pater !
O Nate de Deo Deus !
O caritatis vinculum,
Jungens utrumque, Spiritus !

Ut se videt totum Pater,
Coeva Proles nascitur ;
Amorque quo se diligunt,
Et ipse procedit Deus.

Est totus in Nato Pater,
 In Patre totus Filius ;
 Natoque plenus ac Patre
 Inest utrique Spiritus.

Quod Natus est, hoc Spiritus ;
 Hoc est uterque quod Pater :
 Tres una summa Veritas :
 Tres una summa Caritas.

Aeterna Patri gloria,
 Natoque sit cum Spiritu,
 Qui vivit et regnat Deus
 In seculorum secula.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

AD OFFICIUM NOCT.

Sacris solemnibus juncta sint gaudia,
 Et ex praecordiis sonent praeconia :
 Recedant vetera, nova sint omnia,
 Corda, voces, et opera.

Noctis recolitur coena novissima,
 Qua Christus creditur agnum et azyma
 Dedisse fratribus, juxta legitima
 Priscis indulta patribus.

Post agnum typicum, expletis epulis,
 Corpus Dominicum datum discipulis,
 Sic totum omnibus, quod totum singulis,
 Ejus fatemur manibus.

Dedit fragilibus corporis ferculum ;
Dedit et tristibus sanguinis poculum,
Dicens : Accipite quod trado vasculum ;
Omnes ex eo bibite.

Sic sacrificium istud instituit,
Cujus officium committi voluit
Solis Presbyteris, quibus sic congruit
Ut sumant, et dent ceteris.

Panis angelicus fit panis hominum :
Dat panis coelicus figuris terminum :
O res mirabilis ! manducat Dominum,
Pauper, servus, et humilis.

Te, trina Deitas, unaque, poscimus ;
Sic nos tu visita sicut te colimus :
Per tuas semitas duc nos quo tendimus,
Ad lucem quam inhabitas.

AD LAUDES.

Verbum supernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens,
Venit ad vitae vesperam.

In mortem a discipulo
Suis tradendus aemulis,
Prius in vitae ferculo
Se tradidit discipulis.

Quibus sub bina specie
Carnem dedit et sanguinem;
Ut duplicis substantiae
Totum cibaret hominem.

Se nascens dedit socium,
Convalescens in edulium:
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in praemium.

O salutaris Hostia,
Quae coeli pandis ostium:
Bella premunt hostilia;
Da robur, fer auxilium.

Qui carne nos pascis tua,
Sit laus tibi, Pastor bone,
Cum Patre cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Pange, lingua, gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi
Quem in mundi pretium,
Fructus ventris generosi,
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremæ nocte coenæ
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene,
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenæ
Se dat suis manibus.

Verbum caro panem verum
Verbo carnem efficit:
Fitque sanguis Christi merum;
Et si sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui;
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui:
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.

Genitori, genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio:
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.

AD PRECES SEROTINAS.

(Per Octavam.)

Adoro te devote, latens Deitas
Quae sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit.

Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur :
Credo quidquid dixit Dei Filius ;
Nil hoc Veritatis verbo verius.

In cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas :
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit Latro poenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor ;
Deum tamen meum te confiteor :
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam praestans homini,
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.

O fons puritatis, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum quit ab omni mundum scelere.

Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro, fiat illud quod tam sitio :
Ut, te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae.

COMMUNE
ET
PROPRIUM DE FESTIS.

DEC. 8.

IN CONCEPTIONE BEATAE
MARIAE VIRGINIS.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Ut sol decoro sidere
Splendescit, umbrae nescius ;
Sic, Virgo, nullam pectore
Admittis umbram criminis.

Ut luna, coelos recreans,
Vincit tenebras lumine ;
Sic tota fulges, et tuum
Sic nulla nox laedit decus.

Ut floret, horti gloria,
Candore puro, lilium ;
Color tibi, flos Virginum,
Sic purus aeternum manet.

Ut unda, vitro purior,
 Vultum fidelis exhibet;
 Sic mente sinceram Dei,
 Virgo, refers imaginem.

Sit laus Patri, laus Filio,
 Sit par tibi laus, Spiritus,
 Dignam Deo qui Virginem
 Formans ab ortu praeparas.

JAN. 25.

IN CONVERSIONE S. PAULI.

AD PRIMAS VESPERAS.

Pastore percusso, minas
 Spirabat et caedes lupus;
 Sparsumque vastabat gregem,
 Te, Christe, Saulus nesciens.

Et jam catenas stringere,
 Ferox parabat, jam cruces;
 Sed o! repente sternitur,
 Verboque percussus ruit.

Quid, Saule, Saule, quid struis?
 Agnosce victricem manum:
 Coelo reluctari nefas;
 Absiste Jesum persequi.

Jam tendit imbelles manus;
Jam colla submittit jugo:
Stupens jacet, clamat tremens:
Quid, Christe, quid victor jubes?

Ex hoste miles, ex lupo
Agnus, gregi se devovet;
Et raptor ipse nobili
Raptus triumpho ducitur.

O celsa cedrorum, Deus,
Qui voce vertis culmina!
O qui potenti subjicis
Mentes superbas gratiae!

Tu, Pastor, infensas tuo
Vires ovili contere;
Et nostra, si quid devium,
Ad te reflecte pectora.

Uni sit et trino Deo
Suprema laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suae
Lumen vocavit gloriae.

AD OFFICIUM NOCT.

Quos in hostes, Saule, tendis?
Quo furore percitus?
Immolare quid tot ardes
Innocentes victimas?
Insequendo quem lacesis,
Senties mox vindicem.

Christus instat; impotentem
 Caecat, urget, dejicit:
 Ille cedit imperanti,
 Seque totum subjicit:
 Insecutor ante Christi,
 Praeco Christum personat.

Ante plenus qui minarum
 Praeparabat vincula,
 Nunc tremens, nec jam rebellis,
 Per manus deducitur:
 Qui lupus rapax furebat,
 Nunc in agnum vertitur.

Dura, Christe, quam potenti
 Corda versas dextera!
 Qui tuum delere nomen
 Vult tuorum sanguine,
 Universum mox per orbem
 Ipse clarabit suo.

Sit suprema laus Parenti,
 Qui creavit omnia:
 Filioque qui redemit
 Morte nos volens sua:
 Par et illi, cujus almo
 Confovemur halitu.

AD LAUDES.

Quae gloriosum tanta coelis evocat
 Te, Christe, causa? tune rursus visere
 Mundum redemptor? tune Judex seculi?
 Novumne prodis ultor hostem perdere?

Heu quam cruentus persecutor! quam ferox
Insurgit! horret, ac fugit grex qua premit;
Humana tanto nulla par hosti manus:
Te, Christe, sparsae vindicem poscunt oves.

Hunc ergo voce victor una subjicis;
Totum sed uno subdis in Saulo tibi,
Vincisque mundum; sternis ut mox erigas,
Agnisque praedam dividat lupo tuis.

Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio,
In unitate, quae gubernans omnia,
Per cuncta regnat seculorum secula.

FEB. 2.

IN PRAESENTATIONE DOMINI.

AD PRIMAS VESPERAS.

Templi sacratas pande, Sion, fores;
Christus sacerdos intrat et hostia:
Cedant inanes veritati,
Quae se animis aperit, figurae.

Non immolandi jam pecudum greges,
Fumabit ater non cruor amplius;
En ipse placando Parenti
Ipse suis Deus adstat aris.

Virgo latentis conscia Numinis,
Demissa vultus, quem peperit Deum,
Hunc gestat ulnis; pauperumque
Munera fert teneras volucres.

Hic omnis aetas, omnis et adstitit
 Sexus, propinquo Numine plenior;
 Omnes anhelantis tot annos
 Nunc fidei pretium reportant.

Testes tot inter, magnanimo, Deus,
 Tibi litabat firma silentio
 Verbi silentis muta mater:
 Cuncta animo penitus premebat.

Sit summa Patri, summaque Filio,
 Sanctoque compar gloria Flamini:
 Sanctae litemus Trinitati
 Perpetuo pia corda cultu.

AD OFFICIUM NOCT.

Fumant Sabaeis templa vaporibus;
 Nos sacra poscunt: jam praeit hostia;
 Sequamur omnes, et vicissim
 Puro animo memores litemus.

Lumen ministret splendidior fides:
 Ministret ignes flammea caritas;
 Fundatque divinos honores
 Innocuae bona fama vitae.

Vitae nocentis quid trahimus moras?
 Sit fas beato cum sene commori;
 Ut quem sub aris immolatum
 Vidimus, hoc etiam fruamur.

Sit summa Patri, summaque Filio,
Sanctoque compar gloria Flamini;
Sanctae litemus Trinitati
Perpetuo pia corda cultu.

AD LAUDES.

Qui sacris hodie sistitur aris,
Stat signum populis omnibus infans:
Idem Judaicae gloria gentis,
Et toti nova lux addita mundo.

Plausus insolitos audit uterque
Miraturque parens: vota faventum
Votis excipiunt, et sua laetis
Gratantum ominibus gaudia miscent.

Afflatae subito Numine mentes
Vix sese capiunt: spesque salutis
Hac inclusa tenus corde sub imo,
Ipsis jam manibus prensa tenetur.

Quem videre procul mente Prophetæ,
Nunc te das oculis, Christe, fruendum;
Mox idem feries, ora resolvens,
Dictis attonitas grandibus aures.

Si nostris modo te sensibus aufers,
Horum firma fides suppleat usum;
Hac te, Christe, manu tangere fas est:
In templis resides nunc quoque nostris.

Aeterno sit honor lausque Parenti :
 Qui placare paras victima Patrem,
 Aequalis tibi sit gloria, Nate :
 Amborum similis laus sit amori.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Stupete, gentes ; fit Deus hostia :
 Se sponte legi Legifer obligat :
 Orbis Redemptor nunc redemptus :
 Sequere piat sine labe mater.

De more matrum, Virgo puerpera
 Templo statutos abstinuit dies.
 Intrare sanctum quid pavebas,
 Facta Dei prius ipsa templum ?

Ara sub una se vovet hostia
 Triplex : honorem virgineum immolat
 Virgo sacerdos, parva mollis
 Membra puer, seniorque vitam.

Eheu ! quot enses transadigent tuum
 Pectus ! quot altis nata doloribus,
 O Virgo ! Quem gestas, cruentam
 Imbuet hic sacer Agnus aram.

Christus futuro, corpus adhuc tener,
 Praeludit insons victima funeri :
 Crescet ; profuso vir cruore,
 Omne scelus moriens piabit.

Sit summa Patri, summaque Filio,
Sanctoque compar gloria Flamini:
Sanctae litemus Trinitati
Perpetuo pia corda cultu.

MAR. 25.

IN ANNUNCIATIONE
ET INCARNATIONE DOMINI.

AD PRIMAS VESPERAS.

Haec illa sollemnis dies,
Dies salutis nuntia,
Qua missa coelo tristibus
Venere terris gaudia.

Unius omnes crimine
Casu gravi lapsi sumus:
Ut ipse lapsos erigat,
Descendit in terras Deus.

Qui Patris aeterno sinu
Aeterna Proles nascitur,
Obnoxius fit tempori,
Sinum nec horret Virginis.

Mortale corpus induit,
Orbi piando victimam;
Ut innocenti sanguine
Scelus nocentum diluat.

I

S. J. Simpson

Qui cuncta complet numine,
 Nostros se in artus colligit :
 Ut nos reducat ad Deum,
 Et ipse nobiscum Deus.

Mundo redemptor qui venis,
 Fili, tibi laus maxima
 Cum Patre : nec tibi minor
 Laus, utriusque Spiritus.

AD OFFICIUM NOCT.

Coelestis Ales nuntiat
 Implenda mox mysteria :
 Virtute foecunda Deus
 Illapsus implet Virginem.

Qualis stupendo gloria
 Te, Virgo, de partu manet !
 Conceptus in tuo sinu,
 Natus Deo, nunc est tuus.

De virginali sanguine,
 Quem nulla labes inficit,
 Fingente sancto Spiritu,
 Christi caro compingitur.

Nobis per hanc mortalibus
 Lactescit esca Coelitum :
 Nos pascit infantes homo,
 Qui pascit angelos Deus.

Mundo redemptor qui venis,
Fili, tibi laus maxima
Cum Patre: nec tibi minor
Laus, utriusque Spiritus.

AD LAUDES.

Pulsum supernis sedibus,
Umbris tot annos obsitum,
Coelestis ignarum viae,
Errabat humanum genus.

Coelestis en Rex curiae,
Ut monstret ad coelum viam
Secumque ducat exules,
Se sponte fecit exulem.

Se deviis praebet ducem,
Vires dat ambulanti; ;
Est ipse qua ducit via; .
Quo ducit, ipse terminus.

Deus, suprema Veritas,
Umbrata velo corporis;
Puris videnda mentibus,
Lustra tuo nos lumine.

Et tu, tuorum sis memor,
Quae, dum modesto pectore
Te dicis ancillam Dei,
Regina mundi diceris.

Mundo redemptor qui venis,
 Fili, tibi laus maxima
 Cum Patre: nec tibi minor
 Laus, utriusque Spiritus.

MAII I.

SS. PHILIPPI ET JACOBI
 APOSTOLORUM.

AD PRIMAS VESPERAS.

Dum morte victor obruta
 Ab inferis Christus redit,
 Vos pangimus, dirae necis
 Vitaeque testes redditae.

Vobis datum prae ceteris
 Latus Magistri cingere:
 Vobis futurae sedulus
 Arcana credit gloriae.

At, ille privatim suae
 Dum nuntiat crucis probrum,
 Cur horret humanus nimis,
 Qui decipit sensus, amor?

Opportuit Christum pati,
 Qui postea resurgeret:
 Illinc homo verus patet;
 Hinc se probat vere Deum.

Illos magister qui doces,
Tu Christe, tu nos erudi:
Si quid latet, tu detege;
Amare da quod jam patet.

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da surgere:
Terrena da contemnere;
Amare da coelestia.

Sit laus Patri; laus Filio;
Qui nos, triumphata nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spiritus.

AD OFFICIUM NOCT.

Praedicta Christi mors adest;
At vos timori parcite:
Nil inde, nil caros pius
Remittet in fratres amor,

Durate fortes; irritos
Mundi tumultus spernite:
Deo volente, turbini
Serena succedet dies.

Coeli perenne gaudium
Solabitur luctus breves;
Brevem triumphum seculi
Aeternus obruet dolor.

Qui carne frater in suo
 Mortem peremit corpore,
 Divinitatis vos suae
 Dignabitur consortio.

Da, Christe, nos tecum mori ;
 Tecum simul da surgere :
 Terrena da contemnere,
 Amare da coelestia.

Sit laus Patri ; laus Filio,
 Qui nos, triumphata nece,
 Ad astra secum dux vocat :
 Compar tibi laus, Spiritus.

AD LAUDES.

Regnis paternis debitus
 Cruore quae pandit suo,
 Vos propter hospes exteras
 Adhuc colit terras Deus.

Ignota tardis mentibus
 Patere dat mysteria,
 Per mille praesagas sui
 Se detegens imagines.

En immolandus a Patre,
 Suum ferens lignum Puer :
 En Agnus ille, sanguine
 Qui tincta servat limina.

Amoris o quae pignora!
Vobis oves credit suas:
Ligare dat, dat solvere
Quae solvit et ligat Deus.

Da, Christe, da tecum mori:
Tecum simul da surgere:
Terrena da contemnere;
Amare da coelestia.

Sit laus Patri; laus Filio,
Qui nos, triumphata nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spiritus.

MAII 6.

S. JOANNIS APOSTOLI

ANTE PORTAM LATINAM.

AD PRIMAS ET SECUNDAS VESPERAS.

Urbem Romuleam quis furor incitat?
Christi discipulus Caesare iudice
Damnatus rapitur: nil venerabilis
Frontis canities movet,

In fervens olei conjicitur mare:
Nil aestus nocuit, flamma sed hospiti
Parcit blanda suo; ceu pugil ungitur,
Hinc et fortior exilit.

Edicto steriles pulsus in insulas
 Exul tunc socio perfruitur Deo:
 Hic ventura videt, quae calamo notans
 Sublustri nebula tegit.

Sic nos Christus amet, sic doceat pati;
 Discamusque mori, simus ut et necis
 Sacrae participes: non aliis patet
 Coelum conditionibus.

Patri maxima laus, maxima Filio,
 Amborumque sacro maxima Flamini:
 Haec est certa fides, fontibus e tuis
 Quam divinitus hausimus.

AD LAUDES.

Jussu tyranni pro fide
 Pulsus, Joannes, exulas:
 Fertur volatu libero
 Mens celsa supra sidera.

Illic revelat se tibi
 Qui mortuus vivit Deus,
 Agnus salutis hostia,
 Et morte devicta leo.

Arcana te vatem docet
 Regni sui mysteria:
 Pandit cruore Martyrum
 Ubique spargendam fidem.

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da surgere;
Terrena da contemnere;
Amare da coelestia.

Sit laus Patri; laus Filio,
Qui nos, triumphata nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spiritus.

JUNII II.

S. BARNABAE APOSTOLI.

AD PRIMAS ET SECUNDAS VESPERAS.

Coelo datur quiescere,
Terris relictis, Barnaba:
Solemnis haec affert tuis
Finem dies laboribus.

Quem propter, agro vendito,
Opes caducas deseris,
Magno rependens foenore
En fundus ipse fit tuus.

Tu sacra per jejunia,
Tu publicas inter preces,
Jubente sancto Spiritu,
Christi crearis nuntius.

Quas non adis mundi plagas,
Pauli laborum particeps?
Vos unus ambo spiritus,
Vos una junxit caritas.

Quam vestra gens Christi fidem
Luci rebellis reppulit,
Nil haesitantes barbaris
Portastis illam gentibus.

Fac, Christe, nostris se tuum
Cum lumen offert mentibus,
Amore ne noctis suae
Coeleste donum respuant.

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da surgere:
Terrena da contemnere;
Amare da coelestia.

Qui Patris ad dextram sedes,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

JUNII 24.

NATIVITATIS S. JOANNIS
BAPTISTAE.

AD PRIMAS VESPERAS.

Christe, prolapsi reparator orbis,
Ut tuum casto celebremus omnes
Ore Baptistam, maculas profani
Elue cordis.

Hunc paraturum Domino sequenti
Semitam prisci cecinere vates:
Vatibus cunctis fuit ipse major,
Judice Christo.

Hic et inclusus genitricis alvo,
Sentit exultans Dominum latentem;
Jamque coelesti trepidat venire
Obvius Agno.

Quid fide pendes dubia Sacerdos?
Muta torpebit tibi vox: at infans
Protinus nascens patriae resolvet
Vincula linguae.

Quin repromissam, subitus Propheta,
Cernis humano generi salutem;
Nuntias pacem, reserasque fatis
Grandibus ora.

Gaudet admirans populus stupetque :
 Quis puer, clamant, erit iste, cujus
 Se statim prodit manifesta tantis
 Gloria signis?

Laus sit aeternae sua Trinitati,
 Quae novam mundo paritura lucem,
 Praevium Soli voluit Joannem
 Surgere sidus.

AD OFFICIUM NOCT.

Exiit cunis pretiosus infans,
 Munus Excelsi: venit ut tenello
 Corpori robur, nova ditat intus
 Gratia mentem.

Jamque conventus fugiens profanos,
 Horridis blanda procul urbe lustris,
 Militem Christo parat, innocentes
 Saevus in artus.

Cinctus hirsuti spoliis cameli,
 Arido vitam tolerare victu
 Gaudet, insulas medicans agresti
 Melle locustas.

Scilicet, sacra stimulante flamma,
 Perfidam natus renovare gentem,
 Ad patrum mentes revocabit olim
 Corda nepotum.

Qui creat mundum, sit honos Parenti:
Laus tibi compar, Reparator orbis:
Aequus amborum sit honos per omne
Tempus Amori.

AD LAUDES.

Nunc suis tandem novus e latebris
Prodit Elias, populisque Christum
Clamat, exprobrans sua viperinae
Crimina proli.

En Deus judex, Deus en propinquat
Ventilans fruges: superis recondet
Triticum cellis, paleasque diros
Tradet in ignes.

Hujus adventu, rigidum superbi
Deprimant montes caput; erigantur
Vallium passim cava: corrigantur
Prava viarum.

Sancte praecursor, date praeco lucis,
Excitet somno tua vox inertes;
Ut graves olim fugiamus Agni
Vindicis iras.

Summa laus Patri, genitoque Verbo:
Aequus amborum sit honos Amori,
Qui sacrum Christi pugilem potenter
Ungit et armat.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Quid moras nectis? Domino jubenti
Cede: qui sacro lavat igne corda,
Hic tuis ardet manibus, Joannes,
Amne lavari.

Quis fuit sensus tibi, cum videres
Supplicis ritu dare colla pronum,
Cui pedum summo reputes honori
Solvere lora?

Cernis ut, nimbo rutilante, Christo
Spiritus, Patris comitante voce,
Incubat; sese Triadisque tota
Pandit imago?

Diligens instas operi minister;
Victimam mundi scelus auferentem
Praedicas agnum, digitoque fidus
Indice monstras.

Immemor laudis propriae, magistro
Debitos Christo properas alumnos
Reddere: ardebas minui, decebat
Crescere Christum.

Nec fidem vita sat erit probasse;
Vindicem laesi rigidum pudoris
Te manet carcer: Domino cruenta
Morte praeibis.

Laetus aeternum celebret Parentem
Orbis : aeternum celebret Parentis
Filiū : par sit tibi laus per omne,
Spiritus, aevum.

JUNII 29.

SS. PETRI ET PAULI
APOSTOLORUM.

AD PRIMAS VESPERAS.

Quos junxit unus, vita dum mansit, labor,
Quos una clarat morte palma Martyres,
Ambo sacrati principes exercitus,
Coelo receptos una vos colit dies.

Vos, angularis cui subest Christus lapis,
Fundatis Aedem : mystico vos Corpori,
Cui praesidere gaudet augustum Caput,
Fulgere clara jussit ambo lumina.

In te potestas clavium, Petre, eminent ;
Te, Paule, flumen irrigat scientiae :
Uterque Pastor, et magister, et parens,
Olimque mundo destinati judices.

Infirmi-
tatem carnis experti tamen,
Nostis caducam fictilis testam luti ;
Et consecuti gratiam, clientibus
Praestatis ultro quam pie poscunt opem.

Vos ergo votis supplicum solemnibus
 Adeste: lapsis impetrate gratiam;
 Ut Christianis assequamur moribus,
 Quae sancta mundo tradidistis dogmata.

Sit sempiterno sempiterna laus Patri:
 Petro supernus quem revelavit Pater,
 Aeterne Fili, laus tibi sit maxima:
 Sit par supremo laus decusque Flamini.

AD OFFICIUM NOCT.

Orbe nunc toto celebrentur ambo
 Principes, orbis decus atque lumen,
 Mille qui Christo peperere verbi
 Semine gentes.

Auctor incoepti Deus: ille terras
 Incolens, primas tibi, Petre, defert;
 Mox vocat Paulum, seperas regressus
 Victor ad arces.

Alter aeterni Patris eruditur
 Voce delapsa: super astra raptus
 Alter arcanæ sacra veritatis
 Flumina potat.

Quanta sub vili latitat potestas
 Corpore! infirmos tua sanat umbra,
 Petre: lethales tua, Paule, pellunt
 Lintea morbos.

Mergitur ponto superante Petrus ;
Naufragum Paulus fluitat per aequor :
Christe, ades, saevosque jubes utrique
 Parcere fluctus.

Heu! fidem cernis titubare nostram :
Tu vacillantes rege, Christe, gressus.
Fac, Deus, tantos docili sequamur
 Corde magistros.

AD LAUDES.

Jam nil Hebraeis, Gentium plebs, invide,
Dignata eisdem, fausta plebs, honoribus :
Ovile summus Pastor expandit suum,
Novusque primo grex adunaris gregi.

Promissa Patrum, Christe, natus exequi,
De stirpe Jacob quaeris amissas oves ;
Petrumque, primo quem locavisti gradu,
Tanto labori sufficis vicarium.

Divina Gentes at simul clementia
Respectat ; illis, Paule, Doctor mitteris :
Arcana profers tu Dei mysteria ;
Tu christianae praeco fulges gratiae.

Utrimque fervet uberi fructu labor :
Judaeus, an sis barbarus, nil interest :
Diversa quamquam sors duobus obtigit,
Par universi cura succendit gregis.

Sit sempiterno sempiterna laus Patri:
 Petro supernus quem revelavit Pater,
 Aeterne Fili, laus tibi sit maxima:
 Sit par supremo laus decusque Flamini.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Tandem laborum, gloriosi principes
 Fructum tenetis: fana passim corruunt:
 Quin ipsa late Roma victrix gentium,
 Se Christiano jam stupet subdi jugo.

Saevit Tyrannus; at triumphant victimae:
 Alter per ensem victor, alter per crucem,
 Coelo coronam laureati possident;
 Fususque sanguis Christianos seminat.

Superba sordent Caesares cadavera,
 Queis urbs litabat impii cultus ferax:
 Apostolorum gloriatur ossibus,
 Fixamque adorat collibus suis crucem.

Nunc o cruore purpurata nobili,
 Novisque felix Roma conditoribus,
 Horum trophaeis aucta, quanto verius
 Regina fulges orbe toto civitas;

Sit sempiterno sempiterna laus Patri:
 Sit sempiternum Filio Patris decus:
 Qui nectis ambos, aequus ambobus, tibi
 Divine, sit laus sempiterna, Spiritus.

JUNII 30.

IN COMMEMORATIONE S. PAULI
APOSTOLI.

AD OFFICIUM NOCT.

Sat, Paule, sat terris datum
Post multa te certamina,
Cursu peracto, debita
Corona jam coelo manet.

Quot tu mari periculis,
Terraque jactatus malis!
Quot saxa, virgae, compedes!
Quot damna, curae, funera!

Nunc ille confixum suae
Qui te cruci dudum tenet,
Te Christus ad vitam vocat;
Tibique lucrum jam mori.

Sed caritatis viscera
Strictis coarctant nexibus;
Christoque quos tu parturis
Patrem repossunt filii.

Verum paratur jam tibi
Finis laboris ardui,
Mercesque: bisenos thronus
Te poscit inter judices.

Uni sit et trino Deo
 Suprema laus, summum decus,
 De nocte qui nos ad suae
 Lumen vocavit gloriae.

JULII 2.

IN VISITATIONE BEATAE
 MARIAE VIRGINIS.

AD PRIMAS VESPERAS.

Quo sanctus ardor te rapit,
 O Virgo, flos o Virginum?
 Quo tendis, et cito gradu
 Conscendis alta montium?

Urget sacer te Spiritus
 Totó repletam Numine:
 Matris Dei jam dignitas
 Nil caritati detrahit.

Tibi propinquam sanguine
 Matrem puella visitas,
 Concessa cui divinitus
 Grataris alvi munera.

O quanta matrum gaudia!
 Stupente natura, gravem
 Anum stupes, quae Virginem
 Foetam Deo te praedicat.

Absconditum sub intimo
Ceu nube, portabas sinu
Solem, suo qui protinus
Lustrabit orbem lumine.

Mundo redemptor qui venis,
Fili, tibi laus maxima
Cum Patre: nec tibi minor
Laus, utriusque Spiritus.

AD OFFICIUM NOCT.

Montes, superbum verticem,
Qua Virgo transit, subdite,
Cui se libenter sternerent
Vel ipsa coeli sidera.

Occulta quae latet domi,
Audet foras se prodere:
Semper sibi timens pudor
Se caritate protegit.

It illa, non nectit moras:
Fugit videri, nec minus
Fugit videri, ne suo
Quidquam pudori detrahat.

Beata quam pressit pede,
Tellus! beata semita!
Colles beati, qui simul
Cum matre sensistis Deum!

Beatiores hospites,
Vos o quibus coelestia,
Loquente matre Virgine,
Audire verba contigit!

Mundo redemptor qui venis,
Fili; tibi laus maxima
Cum patre: nec tibi minor
Laus, utriusque Spiritus.

AD LAUDES.

Ad prima verba Virginis,
Intus movente Spiritu,
In matris alvo conditus,
Infans Joannes gestiit.

Agnovit infantem Deum:
Quem sensit, ardet prodere;
Vates et infans, qua potest,
Adesse Christum nuntiat.

Hic jam Redemptoris vices,
Praeconis ille sustinet:
Materna claustra non vetant
Quin ambo munus impleant.

Felix puer, felix parens,
Felix sacerdos, et domus,
Qui per parentem Virginem
Deo fruuntur hospite!

Mundo redemptor qui venis,
Fili, tibi laus maxima
Cum Patre: nec tibi minor
Laus, utriusque Spiritus.

JULII 22.

S. MARIAE MAGDALENES.

AD PRIMAS VESPERAS.

Procul maligni cedite spiritus;
Nunc imperanti cedite Numini,
Fessamque duris Magdalenam
Parcite nunc agitare poenis.

Christi jubentis numine territi
Fugere septem: mox sibi reddita;
Te, Christe, consecatur unum,
Et memori tibi mente servit.

Quin et cruenta de trabe pendulo
Christo litabat mille doloribus:
Quam vellet insontis Magistri
Sola graves tolerare poenas.

Miscere fletus sanguinis aemulos
Non cessat, adstans victima victimae,
Christus, silendo, nil rependit:
Quam melius probat hinc amantem!

Laus, summa Patri, summaque Filio:
Sit summa puro laus quoque Flamini,
Afflante quo semper calescunt
Aethereis pia corda flammis.

AD OFFICIUM NOCT.

Plagis Magistri saucia,
Dum moesta largos funderet
Maria fletus, acrior
Revixit in poenis amor.

Non turba, non vetat crucis
Mortisque dirae scandalum,
Inter furentes quaerere
Ligno peremptum milites.

Quis tantus ignaram labor
Exercet? Extinctam doles
In morte vitam: quid gemis,
Mors ipsa cum victrix cadit?

En ille quem lugens amans,
Praesens resumpto corpore,
Notis amantem te redux
Primam salutatur vocibus.

O si beatos tangere,
O si tenere fas pedes!
Sed hic perennis non datur
Gustare vitae gaudia.

Impleta nunc Apostolam
Promissa te primam choro
Apostolorum grandia
Jubent referre nuntia.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
Nunc, et per omne seculum.

AD LAUDES.

Maria sacro saucia vulnere,
Non jam dolendum quid Dominum doles?
Semper renascens hic amoris
Unde tibi violentus ardor?

Quem quaeris ipso funeris in sinu,
Victo triumphat funere clarior,
Vivit: relecto jam sepulcro,
Ecce jacent revoluta saxa.

Myrrham quid affers, vanaque balsama?
Haec luce functis debita munera:
Mox ille donandos Olympo
Non eget his redivivus artus.

Ingens amantem te dolor indicat;
Amans vicissim se Deus obtulit:
Agnosce vocem tu Magistri
Nomine te proprio vocantis.

Tu prima testis, primaque nuntia,
 Velox in urbem protinus advola;
 Christique nutantes Ministros
 Plena Deo propiore firma.

Laus summa Patri, summaque Filio:
 Sit summa puro laus quoque Flamini,
 Afflante quo semper calescunt
 Aethereis pia corda flammis.

AUG. I.

IN LIBERATIONE S. PETRI

A VINCULIS.

AD PRIMAS VESPERAS ET OFFICIUM
 NOCT.

Qui Christiano glorientur nomine,
 Ahena frustra vincla captivos tenent;
 Frustra satellites servat insomnis fores:
 Inter catenas mente stant liberrima.

Ornant revinctos invidendae compedes;
 Nec ponderosae, quas amor leves facit:
 Non densa tetri carceris nox obsidet,
 Aeterna summo quos manet coelo dies.

Dulces catenae, quae reum non arguunt,
Sed Christi amantem quae probant Apo-
stolum!

Regum coronis, aureis monilibus,
Vos sacra pluris aestimamus vincula.

Patri supremo sit suprema gloria;
Tibique laudes totus orbis concinat,
Aeterne Fili, splendor aeterni Patris:
Compar sit almo laus decusque Flamini.

AD LAUDES ET SECUNDAS VESPERAS.

Petrum, tyranne, quid catenis obruis,
Jubesque condi carceris nigro specu?
Quid trux satellites ante limen excubat?
Carcer, satellites, vincla non Petrum tenent.

Fulgens ab alto venit Ales aethere;
Recedit horror, et fugat noctem dies:
Jubente Christo, rupta vincla concidunt;
Panduntur ultro clausa ferro limina.

Coelestis ille ductor ostendit viam:
It Petrus; atque somnium quod fit, putat.
Verum, recepta mente, victricem Dei
Suae salutis certus agnoscit manum.

Lux nostra, Christe, nostra libertas, vides
Quibus catenis vinciant nos crimina,
Et quanta nostris incubet nox mentibus:
Caecis diem fer, rumpe vinctis vincula.

Patri supremo sit suprema gloria;
Tibique laudes totus orbis concinat,
Aeterne Fili, splendor aeterni Patris;
Compar sit almo laus decusque Flamini.

AUG. 6.

IN TRANSFIGURATIONE
DOMINI.

AD PRIMAS ET SECUNDAS VESPERAS.

Hoc, jussa quondam rumpimus
Festo die silentia:
Celata dudum jam decet
Vulgare nos mysteria.

Montis sub alto vertice,
Tribus vocatis testibus,
O Christe, visus hactenus
Terris homo, pates Deus.

Tuae latens lucis jubar
Sacros in artus effluit;
Vestis tuo te numine,
Tibique totus redderis.

Coelo tonante, protinus
Audita summi vox Patris:
Te, nube rupta, Filium,
Quo gloriatur, asserit.

Hic est Magister omnium,
Quem pronus orbis audiat.
Silete, mortales: Deus
Qui nos docet, fatur Deus.

Qui, nube rupta, te palam
Natum vocavit, laus Patri;
Tibique Nato; nec minor
Laus utriusque Flamini.

AD OFFICIUM NOCT.

Quam nos potenter allicis!
Te, Christe, quando detegis,
Te, quando celas, providus
Nobis peraeque consulis.

Hic nos adoptat filios,
Qui te vocavit Filium;
Sponsor futurae gloriae
Dat certa nobis pignora.

E nube quid, Pater, probas?
De monte, Fili, quid doces?
Umbris procul cedentibus,
Restabat una veritas.

Ut jussa Patris impleas
Mactanda mundo victima,
Formam resumens pristinam,
Mortalitati redderis.

Fac, Christe, qui nobis lates,
 Obscura dum regit fides,
 Fracto solutos corpore
 Nos te videre, te frui.

Qui, nube rupta, te palam
 Natum vocavit, laus Patri;
 Tibique Nato; nec minor
 Laus utriusque Flamini.

AD LAUDES.

Jesu, dulcedo cordium,
 Fons vivus, lumen mentium,
 Excedens omne gaudium
 Et omne desiderium:

Mane nobiscum Domine:
 Et nos illustra lumine,
 Pulsa mentis caligine,
 Mundum replens dulcedine.

Quando cor nostrum visitas,
 Tunc lucet ei veritas:
 Mundi vilescit vanitas,
 Et intus fervet caritas.

Jesu mi bone, sentiam
 Amoris tui copiam:
 Da mihi per praesentiam
 Tuam videre gloriam.

Quem tuus amor ebriat,
Novit quid Jesus sapiat:
Quam felix est quem satiat!
Non est ultra quod cupiat.

Tu fons misericordiae,
Tu vere lumen patriae,
Pelle nubem tristitiae,
Dans nobis lucem gloriae.

AUG. 14.

IN VIGILIA ASSUMPTIONIS
BEATAE MARIAE VIRGINIS.

AD LAUDES.

Quod carne Christum, Virgo, paris, vocant
Hinc te beatam: rectius occupas
Nomen beatae, quae fideli
Credideris, pia Virgo, corde.

Orbata Nato, non muliebriter
Ploras ademptum. Scilicet altior
Tellure coelestes, triumphans
Quo rediit, meditaris arces.

Amoris illuc te rapit impetus:
Tardi sed obstant vincula corporis,
Dolesque durum longioris
Exilii tolerare pondus.

Haec vota tandem qui cumulas, Pater,
 Succurre nostris, auspice Filio;
 Infunde sacrum, quo vigemus,
 Pectoribus, Deus alme, Flamen,

AUG. 29.

IN DECOLLATIONE
 S. JOANNIS BAPTISTAE.

AD PRIMAS VESPERAS.

Quis ille, sylvis e penetralibus
 Egressus, ad se tot populos trahit?
 Ab ore pendentes loquentis
 Qua subito tenet arte turbas?

An ille fastu regifico tumens,
 Molli solutus diffluit otio?
 Levisne arundo ventilatur
 Arbitrio popularis aerae?

Atqui ter annos jam decies trahit
 Vitam in profundis saltibus asperam,
 Virtutis Eliae futurus
 Atque animi generosus haeres.

Ergo severam Numinis omnibus
 Ostentat iram, non timidus mori:
 Assertor acer veritatis,
 In proceres tonat inque plebem.

Aula receptum non retinet timor,
Non blanda flectit gratia Principis,
Contaminati quin reprimat
Flagitium opprobriumque lecti.

Sit summa Patri, summaque Filio,
Sanctoque compar gloria Flamini:
Sanctae litemus Trinitati
Perpetuo pia corda cultu.

AD OFFICIUM NOCT.

Impune Vati non erit: impotens
Totum furorem femina colligit;
Iraeque causas aggerando
Exstimulat fera corda regis.

Quid non libido cogis adultera?
Dantur catenis innocuae manus:
At alligari veritatis
Nescia vox, sua jura servat.

Christum vel atro carceris in specu
Praeco fidelis nuntiat: et suos
Divina patranti Magistro
Discipulos jubet ire testes.

Vinctus triumphat; tu pavitans fremis,
Tyranne. Caecum mens male conscia
Quatit flagellum: stricta Vatem
Impavidum feriet securis.

Sit summa Patri, summaque Filio,
 Sanctoque compar gloria Flamini:
 Sanctae litemus Trinitati
 Perpetuo pia corda cultu.

AD LAUDES.

Ecce, saltantis pretium puellae,
 Fertur in disco caput amputatum:
 Haec cruentatis nova proferuntur
 Fercula mensis.

Quae rudes sylvis populos docebat,
 Quae Deum tota resonabat aula,
 Illa vox, eheu! gladio resecta,
 Muta silebit.

Occidit Vates, et adhuc timetur,
 Vox silet verbi, cruor ille clamat:
 Sancta fraterni temerata carpit
 Foedera lecti.

Nube sub densa jubar involutum
 Venerat caecis aperire seclis:
 Sole maturo, velut umbra, cessit
 Lucifer Orbi.

Summa laus Patri, genitoque Verbo:
 Et tibi compar, utriusque nexus
 Spiritus semper, Deus unus omni
 Temporis aevo.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Omnibus manat cruor ecce venis :
Hinc sitim longam satia, tyranne ;
Et cibos inter paterasque puro
Sanguine liba.

Ut caput vidit, dapibus paratis,
Triste fumanti natitare tabo,
Haesit, impastis fremuitque mensis
Funeris auctor.

Non tamen frontis gravitas serenae
Cessit immiti violata ferro :
Dura mitescit placido sub ore
Mortis imago.

Sic suo rursum Deus hunc praeire
Nuntium Christo jubet, inferisque
Ferre praeconem nova liberandi
Gaudia mundi.

Qui Deo plenus rigidis futurum
Moribus Christum rudis exprimebat,
Debuit dura quoque morte totum
Reddere Christum.

Summa laus Patri, genitoque Verbo ;
Et tibi compar, utriusque nexus
Spiritus semper, Deus unus omni .
Temporis aevo.

SEPT. 2.

SS. LAZARI, MARIAE, ET
MARTHAE.

AD PRIMAS VESPERAS.

Flagrans amore, perditos
Dum nos Redemptor quaereret,
Defessus ad Martham Deus
Sese recepit hospitam.

Beata, quae tantum suis
Amica tectis hospitem
Fovere gaudet, et Deo
Inferre convivae dapes!

Dum Martha pascit, pascitur
Maria felix; ac sedens,
Magnoque tuta Judice,
Partem potitur optimam.

Nunc, Martha, nunc sedens Deo,
Et ipsa Verbo pasceris;
Et jube se tuus tibi
Conviva dat convivium.

Da, Christe, Sanctorum quies,
Sic nos ad unum tendere
Per multa, posthac optima
Ut parte possimus frui.

AD OFFICIUM NOCT.

Redditum luci, Domino vocante,
Lazarum, turbae, domitamque mortem
Laudibus festis, modulisque sacri
Dicite cantus.

Ille qui Christum meruit frequenti
Hospitem gaudens recreare mensa,
Foetidus clauso, data praeda morti,
Conditur antro.

Heu! tua praesens ope si jacenti,
Fata qui praescis, Deus, astitisses;
Viveret, necdum premerentur atra
Lumina nocte.

Jamque mors vitae Domino solutam,
Si jubes, reddet spoliata praedam:
Nunc et extinctus superas amicus
Surget ad auras.

Ecce dilecti lacrymis honoras
Hospitis funus, fremituque prodis
Quam pio plangas, Pater, impiorum
Corde ruinam.

Ut Patrem semper pia Spiritumque
Omne plebs tecum celebret per aevum
Christe, credentes animas secundae
Eripe morti.

AD LAUDES.

Panditur saxo tumulus remoto:
Intimos clamor penetrat recessus;
Et Deum sentit docili jubentem
Aure cadaver.

Proh stupor! notas repetit medullas
Spiritus; caecam pedibus revinctus
Dum viam carpit, sibimet superstes
Prodit et haeres.

Ipsa sic ruptis inimica vinclis
Mors fugit, vinci patiens: futuris
Summa praeludit tua sic triumphis,
Christe, potestas.

Ut Patrem semper pia Spiritumque
Omne plebs tecum celebret per aevum,
Christe, credentes animas secundae
Eripe morti.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Intrante Christo Bethanicam domum,
Curramus omnes: hospite splendidam
Simone coenam praeparante,
Tam celebrem penetremus aulam.

Hic dum ministrat Martha celer gradu,
Fraterque laetas assidet ad dapes;
Maria, Christo tu fragranti
Vasa replens pretiosa nardo.

Pedes inungens, tergere crinibus
Gaudes; liquorem fundis et in caput;
Et, vase fracto mox inundans,
Tecta novo recreas odore.

Sed cur iniquo dente lacesseris,
Dum gloriosis obsequiis vacas?
Unguenta fundens, antevertis
Exequias morientis Agni.

Quantum per orbem Christiadum fides
Diffusa vastas subjiciet plagas,
Tantum Mariae grande factum
Per populos resonabit omnes.

Laus summa Patri, summaque Filio,
Sanctoque compar gloria Flamini;
Quo dante, jam nunc sponsa Christi
Perpetua fruitur quiete.

SEPT. 8.

IN NATIVITATE BEATAE MARIAE
VIRGINIS.

AD OFFICIUM NOCT.

Laetis terra sonet plausibus: huic Dei
Mater Virgo datur; munere quo nova
Se rerum facies protinus exerit,
Mundo pax redit aurea.

Haec est illa domus, qua Deus advena
In terris habitat, digna Deo domus;
Templum grande, sibi quod propria manu
Summus condidit Artifex.

Aureis arca vetus fulserit undique
Scintillans radiis. Haec vacuas decent
Umbras: interior Numinis ipsius
Arcam nobilitas decet.

Non hic manna latet, legifer aut lapis,
Non ramus sterilis: flos viget hic ferax
Virtutum; sacer hic panis homo Deus;
Hic legis residet dator.

Sit laus summa Patri, summaque Filio:
Amborum sit idem Spiritui decus,
Arcanis habilem qui thalamum modis
Christo praeparat hospiti.

AD LAUDES.

Mortale, coelo tolle, genus, caput;
En noctis horror desiit; en jubar
Nascentis Aurorae propinquum
Admonuit properare Solem.

Sacro tumentes germine jam polus
Terras amicis imbribus irrigat;
De stirpe Jesse virga surgit
Conspicuum paritura florem.

Coelestis illum gratia Spiritus
Inunget; illi Justitia, et Fides,
Timorque castus; Veritasque,
Et Pietas, comites praeibunt.

Hunc ergo, quem tot secla fidelibus
Votis anhelant, quem misero Deus
Promisit orbi, spem salutis,
Accelera, pia Virgo, fructum.

Sit Trinitati perpetuum decus,
Inficta mundo quae miserans mala
In matre pignus nascituri
Non dubium dat habere Christi.

SEPT. 14.

IN EXALTATIONE SANCTAE
CRUCIS.

AD OFFICIUM NOCT.

Lignum Crucis mirabile
Totum per orbem prominet,
In qua pependit innocens
Christus, Redemptor omnium.

Hanc nulla cedrus arborem
Adaequat alto vertice,
Quae poma nescit noxia,
Sed ferre vitae praemia.

Tu, Christe, Rex piissime,
Hujus Crucis signaculo,
Diebus, horis omnibus,
Munire nos non abnuas :

Ut lingua cordi consona,
Comesque cordis puritas,
Laudis tibi perenniter
Munus rependat debitum.

Qui per crucem nos liberas,
Fili, tibi laus maxima
Cum Patre ; nec tibi minor
Laus, utriusque Spiritus.

SEPT. 29.

S. MICHAELIS ET OMNIUM
ANGELORUM.

AD PRIMAS VESPERAS.

Christe, qui sedes Olympo,
Par Deo Patri Deus,
Quem tremiscunt intuendo
Puriores Spiritus:
Da choris junctos supernis
Ore puro psallere.

Inter omnes fulguranti
Ense victor emicat,
Qui draconis insolentem
Contudit ferociam,
De polo trusit rebellem
In profunda tartara.

Dum superbum sternis hostem,
Intonas; Quis ut Deus?
Obstinata turba praeceps
Clade communi ruit:
Te triumphantem coronat
Qui tibi dat vincere.

Tu decore vincis omnes,
Alitum pulcherrime:
Assides Deo propinquus,
Consili tu particeps;
Astra claudis et recludis,
Nosque sistis Judici.

Te tremendo poscat aeger
Mortis in luctamine;
Advolantis efficacem
Sentiet praesentiam;
Corporis vinculis solutum
Mox ad astra transferes.

Sit suprema laus Parenti,
Qui creavit omnia:
Filioque qui redemit
Morte nos volens sua:
Par et illi, cujus almo
Confovemur halitu.

AD OFFICIUM NOCT.

Descende coelo: te Michael vocat
Quae festa terris te celebrat dies:
Ne vota spernas, Christianae
Grande decus columenque gentis.

Adstas minister tu propior throno,
Mandata promptus Numinis exsequi,
Te qui fideles perstiterere
Aligeri, duce gloriantur.

Illustre sit fas dicere proelium;
Sit fas triumpho plaudere nobili,
Quo dissipati perduelles
Aethereis cecidere regnis.

Movere bellum pacis in atriis
Insanus ardet Lucifer, et polo
Parare dementes ruinas
Atque Dei solio minari.

Invadit idem mille acies furor;
Fervent tumultu sidera : grandium
Dux magne bellorum, Tonantis
Jura datur tibi vindicare.

Hac fulguranti voce, Quis ut Deus?
Pellis superbos : strenuus impias
Vexare turmas, et rebelles
Perpetuis religare flammis.

Sit laus Parenti, qui creat Angelos;
Per quem triumphant gloria Filio:
Quo roborantur laus sit almo
Spiritui: tribus una semper.

OCT. 2.

SS. ANGELORUM CUSTODUM.

AD PRIMAS VESPERAS ET OFFICIUM NOCT.

Custodes hominum psallimus Angelos,
Naturae fragili quos Pater addidit
Coelestis comites, insidiantibus
Ne succumberet hostibus.

Nam quod corruerit proditor Angelus,
Concessis merito pulsus honoribus,
Ardens invidia, pellere nititur
Quos coelo Deus advocat.

Huc custos igitur pervigil advola,
Avertens patria de tibi credita
Tam morbos animi, quam requiescere
Quidquid non sinit incolas.

Qui lucis Pater est, gloria sit Patri:
Qui lux ipsa Patris, gloria Filio:
Amborumque tibi, nexus amabilis,
Compar gloria, Spiritus.

AD LAUDES.

Regnator orbis summus et arbiter,
Cui prona servit curia Coelitum;
Quae voce sola tu creasti,
Perpetua regis ipse cura.

Nobis fideles providus Angelos
Missos Olympo suppeditas duces,
Qui nos tot obsessos periculis
Incolumes sine labe servant:

Ne nos malignis fraudibus occupans,
Incauta fallat pectora subdolis
Suasor malorum; ne redemptam
Abripiat lanietque praedam.

Laus summa Patri, summaque Filio ;
Tibique compar gloria, Spiritus,
Qui per salutis tot ministros
Das patrias remeare sedes.

OCT. 31.

IN VIGILIA OMNIUM
SANCTORUM.

AD OFFICIUM NOCT.

Pugnate, Christi milites,
Fortes fide resistite :
Immensa promisit Deus
Pio labori praemia.

Non ille fluxas ac leves
Palmas dabit vincentibus ;
Sed lucis aeternae decus,
Et pura semper gaudia.

Mentes beatas excipit
Formosa Coelitum domus :
Hic turba, coelis altior,
Subjecta calcat sidera.

Caduca vobis praemia
Offert levis mundi favor :
Vultus ad astra tollite ;
Hic ipse fit merces Deus.

Qui nos coronat, laus Patri,
 Laus, qui redemit, Filio ;
 Alma juvans nos gratia,
 Sit par tibi laus, Spiritus.

AD LAUDES.

Coelestis, O Jerusalem,
 Mansura semper civitas,
 O ter beati, quos tuis
 Cives recondis moenibus !

Tu pacis aeternae domus,
 Dilecta Sanctorum quies,
 Sedes Deo fruentium,
 Regis superni curia.

Hic in throno sedens Deus
 Cunctos beat praesentia :
 Hic sol perennis, splendido
 Affulget Agnus lumine.

Hac sede, quo datur frui
 Nil dulce turbat otium :
 Hic unus est Sanctis labor
 Dei vacare laudibus.

Huc certa nos spes evocat,
 Huc vota tendant omnia :
 Nec terreat brevis labor :
 Aeterna quos merces manet.

Perennis o Sol patriae,
Jesu, tibi sit gloria,
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

Nov. I.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

AD PRIMAS ET SECUNDAS VESPERAS.

Coelo quos eadem gloria consecrat,
Terris vos eadem concelebrat dies :
Laeti vestra simul praemia pangimus,
Duris parta laboribus.

Jam vos pascit Amor, nudaque Veritas ;
De pleno bibitis gaudia flumine ;
Illic perpetuam mens satiat sitim,
Sacris ebria fontibus.

Altis secum habitans in penetralibus,
Se Rex ipse suo contuitu beat ;
Illabensque, sui prodigus, intimis
Sese mentibus inserit.

Altari medio, cui Deus insidet,
Agni fumat adhuc innocuus cruor :
Quae mactata Patri se semel obtulit,
Se jugis litat hostia.

Pronis turba senum cernua frontibus,
 Inter tot rutili fulgura luminis,
 Regnanti Domino devovet aurea,
 Quae ponit, diademata.

Gentes innumerae, conspicuae stolas
 Agni purpureo sanguine candidas,
 Palmis laeta cohors, cantibus aemulis
 Ter sanctum celebrant Deum.

Sit laus summa Patri, summaque Filio:
 Sit par, sancte, tibi laus quoque, Spiritus,
 Qui das pro meritis, optimus arbiter,
 Te totum simul omnibus.

AD LAUDES.

Hymnis dum resonat curia Coelitum,
 Hic flemus patriis finibus exules:
 Hic suspensa tenemus
 Mutis cantibus organa:

Quando mens misero libera carcere
 Se vestris sociam coetibus inseret;
 Et, caligine pulsa,
 Coeli lucem habitabimus?

Obscurae fugient mentis imagines,
 Cum stantes propius luminis ad jubar,
 Nos verum sine nube
 Ipsò in fonte videbimus.

Nobis, sancta cohors, sis bona: fluctibus
Luctantes mediis quos modo respicis,
Da portus, duce Christo,
Da contingere prosperos.

A quo cuncta fluunt, maxima laus Patri;
Qui mundum reparat, maxima Filio:
Et quo pectora flagrant,
Sit laus maxima Flamini.

Nov. 21.

IN PRAESENTATIONE BEATAE
MARIAE VIRGINIS.

AD PRIMAS VESPERAS.

Quam pulchre graditur filia Principis,
Templi cum properat limina tangere!
Praeludit meliori,
Quam mox offeret hostiam.

E matris gremio, Numinis in sinum
Infans non dubiis passibus advolat;
Virgo Numinis ara,
Aris victima sistitur.

Sponso membra Deo mollia devovet;
Cordis virginei dedicat intima:
Verbo debita mater,
Verbo viscera consecrat.

Tecum cuncta Deo prodiga dum voves,
Numen, Virgo, tui pectoris incola,
 Quanto foenore pensat
 Terraë quae bona despicias?

Quid nos illaqueant improba gaudia?
Cur nos jam pigeat vincula rumpere?
 Dux est Virgo sacerdos,
 Fas sit quo properat sequi.

Ergo nunc tua gens se tibi consecrat;
Ergo nostra manes portio, tu, Deus,
 Qui de Virgine natus,
 Per nos saepe renascaris.

Sit laus summa Patri, summaque Filio,
Sit par, sancte, tibi gloria, Spiritus,
 Si nos intus aduris,
 Puro corde litabimur.

AD OFFICIUM NOCT.

Infans pulsa recens matris ab ubere,
Abscondi tacitis quaerit in atriis;
 Templum Virgo futura,
 Templi crescit in aedibus.

In blanda requie, plena negotio,
Uni nota Deo vivere cogitat;
 Hic pro lacte parentis
 Sugit Numinis ubera.

Sic aurora novi nuntia luminis,
Primo mane latet nubibus obsita;
Mox solem paritura,
Plenum qui referat diem.

Sol in virgineo pectore praevis
Ardorem radiis suscitatur intimum:
Hoc foecunda calore
Virtus insita germinat.

Ut fert prima novis munera frondibus
Arbos irrigui fontis in alveo;
Fructum Virgo datura,
Sese floribus induit.

Sit suprema tibi gloria, Trinitas;
Quo Virgo teneram se vovet hostiam,
Puri Flamen amoris,
Fac nos jam tibi vivere.

AD LAUDES.

O sancte Sanctorum Deus,
Quam pura sese devovet
Ignota prisco foederi,
Tuas ad aras hostia!

Afflata puro Numine,
Taedas jugales respuens
Maria, vinclo perpetis
Se castitatis obligat.

Prolis coaeternae Patri
Futura mater, sic sui
Parare Sponso Virginum
Festinat aulam pectoris.

Fallacis aevi ludicra
Perosa, nesciri studet;
Solo, placere cui cupit,
Deo frui beatior.

Hinc quanta posthac Virginum
Surrexit in terris seges!
Laus quanta, despectae prius
Adjecta continentiae!

Quotquot pudoris aemulae
Matris prement vestigia,
Tot illa post se Filii
Dux sistet ad Regis thronum.

Sit laus Patri, laus Filio
Qui Virgines sponsat sibi;
In quo litantur hostiae
Par sit tibi laus, Spiritus.

COMMUNE SANCTORUM.

APOSTOLORUM.

AD OFFICIUM NOCT.

Supreme, quales, Arbiter,
Tibi ministros eligis,
Tuas opes qui vilibus
Vasis amas committere !

Haec nempe plena lumine
Tu vasa frangi praecipis ;
Lux inde magna rumpitur,
Ceum, nube scissa, fulgura.

Totum per orbem nuntii,
Nubes velut, citi volant :
Verbo graves, Verbo Deo,
Tonant, coruscant, perpluunt.

Christum sonant : versae ruunt
Arces superbae daemonum :
Circum tubis clangentibus,
Sic versa quondam moenia.

Fac, Christe, coelestes tubae
Somno graves nos excitent :
Accensa de te lumina
Pellant tenebras mentium.

Uni sit et trino Deo
Suprema laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suae
Lumen vocavit gloriae.

AD LAUDES.

Coelestis aulae Principes,
Sacri duces exercitus,
Bissenae mundi lumina,
Olim futuri iudices ;

Mersis gravi caligine,
Per vos dies renascitur :
Quos vanus error luserat,
Illustrat alma veritas.

Non vi, nec armis militum,
Fandi nec ullis artibus ;
Verbo sed irrisae Crucis,
Christo rebelles subditis.

Quibus gemit subditus,
Rumpuntur orbis vincula :
Jam gaudet, excusso iugo,
Liber Dei sub legibus.

Vulgata terris omnibus
Per vos Dei mysteria:
Sic vestra terris omnibus
Praeclara facta personant.

Uni sit et trino Deo
Suprema laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suae
Lumen vocavit gloriae.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Quem misit in terras Deus,
Ut morte nos servet sua,
Amoris hic fidos sui
Vos eligit vicarios.

Occisus Agnus a lupis,
Vos misit agnos ad lupos:
Mores ferinos exuunt,
Agni repente de lupis.

Quae victimarum caedibus
Tellus madebat impiis,
Vestris eam sudoribus,
Vestro piastis sanguine.

Hoc rore facta pinguior,
Quot illa fructus protulit!
Quae, quanta surrexit seges!
Et ista nos seges sumus.

Quam si bonus respexeris,
 Qui das rigatis crescere,
 Frumenta nos coelestibus
 Matura condes horreis.

Uni sit et trino Deo
 Suprema laus, summum decus,
 De nocte qui nos ad suae
 Lumen vocavit gloriae.

EVANGELISTARUM.

AD PRIMAS ET SECUNDAS VESPERAS

ET AD OFFICIUM NOCT.

Christi perennes nuntii,
 Retecta qui coelestibus
 Scriptis Dei mysteria
 Totum per orbem spargitis :

Olim sub umbris condita
 Vates sacri quae viderant,
 Umbris procul cedentibus,
 Vidistis haec pleno die.

Humana quae tulit Deus,
 Divina quae gessit homo,
 Seris legenda posteris,
 Dictante scripsistis Deo.

Loco remotos, tempore,
Vos rexit idem Spiritus;
Vestris adhuc in paginis
Nobis loqui non desinit.

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da surgere:
Terrena da contemnere;
Amare da coelestia.

Sit laus Patri; laus Filio,
Qui nos, triumphata nece,
Ad astra secum dux vocat:
Compar tibi laus, Spiritus.

AD LAUDES.

Sinae sub alto vertice,
Coelo tonante, lex data:
Inter tubas et fulgura
Praesens minabatur Deus.

Nunc, temperato Numine,
Per vela carnis blandius
Amat videri, languidis
Se lumen aptans sensibus.

Insculpta saxo lex vetus
Praecepta, non vires dabat:
Inscripta cordi lex nova
Quidquid jubet, dat exequi.

Scripsistis hanc fida manu;
 Hanc voce, voci consonis
 Hanc praedicastis moribus;
 Signastis hanc et sanguine.

Afflante divo Spiritu,
 Quae verba vitae traditis,
 Haec ille nostris imprimat
 Delenda nunquam cordibus.

Da, Christe, nos tecum mori;
 Tecum simul da surgere:
 Terrena da contemnere;
 Amare da coelestia.

Sit laus Patri; laus Filio
 Qui nos, triumphata nece,
 Ad astra secum dux vocat:
 Compar tibi laus, Spiritus.

UNIUS MARTYRIS.

AD PRIMAS VESPERAS.

Ex quo, salus mortalium,
 Fluxit sacer Dei cruor;
 Homo redemptus aemulum
 Deo litavit sanguinem.

Non jam crucis Christi pudet :
Quin surgit ingens gloria
Deum fateri mortuum,
Pro mortuo mori Deo.

Hoc iste plenus spiritu
Ridet minas, ridet neces ;
Tuaque fretus dextera,
Tibi, Redemptor, militat.

Parata spectans praemia,
Securus ad poenas volat :
Sic pugnat, ut speret mori,
Et morte mortem vincere.

Unus tot armatas manus
Stupente lassat iudice ;
Et tortus ipsis qui cadit
Torquentibus fit fortior.

Da, Christe, tanti militis
Aequare facta fortia ;
Da sustinere pro tuo,
Quodcumque durum, nomine.

Aeterne tu Verbi Pater,
Aeterne Fili par Patri,
Et par utrique Spiritus,
Tibi, Deus, sit gloria.

AD OFFICIUM NOCT.

Felix morte tua, qui cruciatibus
Coelo difficilem rumpere amas viam,
Et signare cruore
Quam Christo dederas fidem!

Poenis victa quibus deficeret fides,
Tu poenas avida mente praeoccupas:
Cui non sufficit una,
Ambis innumeras neces.

Te pro lege sua magnanimum mori,
Te Christus pugilem spectat ab aethere:
Ne succumbere possis,
Tecum praelia sustinet.

Et nos delicias, vana per otia,
Gens infida Deo, quaerimus anxii:
Quid torpemus? inertes
Sanguis Martyris excitat.

Semper maxima laus ingenito Patri:
Semper laus genito maxima Filio:
Sacri nexus amoris,
Sit laus par tibi, Spiritus.

AD LAUDES.

Jam non te lacerant carnificum manus,
Inter qui recubas Coelituum choros:
Nunc pro carcere caeco
Fulgentes habitas domos.

Non jam vincla manus, non cohibent pedes;
Tu liber superum regna perambulas:
Quot plagis laniatus,
Coelo tot radiis nites.

Nec te dira fames, nec sitis amplius,
Nec probrosa premit te modo nuditas,
Nunc te lumine puro
Pascit Christus et induit.

Sic tu Martyribus dexter ades, Deus,
Ut quos mors perimit, gloria vindicet;
Confundisque tyrannum
Dum quos deprimit, elevas.

Semper maxima laus ingenito Patri:
Semper laus genito maxima Filio:
Sacri nexus amoris,
Sit laus par tibi, Spiritus.

PLURIUM MARTYRUM.

AD PRIMAS VESPERAS.

Christi Martyribus debita nos decet,
Virtutis memores, promere cantica;
Quos nec blanditiis, nec potuit minis
Fallax vincere seculum.

Coelestis Patriae mens inhians bonis,
Mundi spernit opes fluxaque gaudia:
Vitae quin etiam, prae Domini lucro,
Jacturam facilem putant.

Non vultus metuunt carnificum truces:
Foetas suppliciis despiciunt manus:
Enses, flagra, rotas, omnia perpeti
Victrix edocuit fides.

O incredibilem vim patientiae!
Non, artus laceros qui cruciat dolor,
Extorquet gemitum, non querimoniam
Agnis mitibus elicit.

Ergo nunc propior, Christe, tibi sedet
Palmis turba nitens usque virentibus,
Victorumque gerens praemia, nobiles
Multo sanguine laureas.

Sit laus summa Patri, summaque Filio ;
Sit par, sancte, tibi gloria, Spiritus,
Cujus praesidio praelia sustinent,
Contempta nece, Martyres.

AD OFFICIUM NOCT.

Fortes cadendo Martyres,
Quos empta fuso sanguine
Coelestis ornat purpura,
Junctis canamus vocibus.

Acti procellis omnibus,
Sui cruoris flumine
Vehuntur, et Christo duce,
Portus beatos occupant.

Saevit tyrannus, allicit ;
Temnunt minas, temnunt preces,
Deum minantem dum timent,
Dum munerantem diligunt.

Quem lictor insanus sitit,
Quem caecus effundit furor,
Amor sacerdos prodigum
Christo cruorem consecrat.

Et ille mixtus sanguini
Quem fudit in ligno Deus,
Fundentibus placabilem
Orare non cessat Deum.

Implere vos omnes decet
 Passo Deo quod defuit :
 Per tot neces laeso Patri,
 Fit plena Christus hostia.

Sit laus Patri, laus Filio ;
 Par sit tibi laus, Spiritus,
 Qui praeliantes roboras
 Palmisque donas Martyres.

AD LAUDES.

Quam, Christe, signasti viam
 Primus profuso sanguine,
 Per hanc tui te fortiter
 Ducem sequuntur milites.

Fossus manus, fossus pedes,
 Ovans ad astra transvolas ;
 Et membra trunci Martyres
 Addunt triumpho se tuo.

Omnes in ostro splendidi
 Tuum tribunal ambiunt :
 Accepta monstrant vulnera,
 Et per tot ora supplicant.

Audire si nos respuis,
 Quos criminum moles gravat ;
 Audi tuos, qui sanguinem
 Fudere pro te, Martyres.

Fac, si tyrannus deficit,
Ne blandiendo mollius
Frangat voluptas pectora,
Ipsis tyrannis saevior.

Aeterne tu Verbi Pater,
Aeterne Fili par Patri,
Et par utrique Spiritus,
Tibi, Deus, sit gloria.

PONTIFICUM.

AD PRIMAS ET SECUNDAS VESPERAS.

Christe, Pastorum caput atque princeps,
Praesulis festam venerata lucem,
Debitis supplex tua templa votis
Turba frequentat.

Ille non vano tenuit tremendam
Spiritu sedem, proprio nec ausu:
Sed sacrum jussus, Domino vocante,
Sumpsit honorem.

Strenuum bello pugilem superni
Chrismatis pleno tuus unxit intus
Spiritus cornu, posuitque sanctam
Pascere gentem.

Fit gregis pastor, pater atque forma :
 Laetus impendit sua, seque ; servus
 Omnium, curis gravis, omnibusque
 Omnia factus.

Pro reis orat, reficit gementes,
 Erigit lapsos, tenebrasque pellit ;
 Fit potens verbo, docet alta, pravum
 Conterit hostem.

Fac ut illius precibus juvemur,
 Christè ; fac Patrem, pariterque tecum
 Spiritum jugi celebremus hymno
 Omne per aevum.

AD OFFICIUM NOCT.

Christe, decreto Patris institutus
 Pontifex summo, tibi, qui fideles
 Quos legis, formas populis regendis
 Ipse ministros :

Hunc juvat festo celebrare cantu,
 Qui licet magnis meritis abundans,
 Flens et invitus, duce te, tremendum
 Sumpsit honorem.

Noverat quantis pateat periclis
 Ille, qui summos apices adeptus,
 Omnium curas, sibi raptus uni,
 Sustinet omnes.

Fecerat fervens amor inquietum :
Quo gregis cari pia cura poscit,
Advolat promptus : mora non euntem
Ulla retardat.

Dux iter, vita praeunte, monstrat ;
Comprobat factis sua dicta magnis ;
Et domum sanctam bene olente Christi
Implet odore.

Lux erat caeco, columen labanti,
Una spes lapso, misero levamen,
Providus cunctis pater, omnibusque
Omnia factus.

Christe, Pastorum bonus ipse Pastor,
Qui greges pascis proprio cruore,
Fac ut aeterne subeant opima
Pascua vitae.

AD LAUDES.

Jesu, Sacerdotum decus,
In hac die, qua gloria
Sanctum coronas Praesulem,
Votis adesto supplicum.

Sui probatus praemium
Amoris, et pignus tui,
A Patre traditos tibi
Accepit agnos pascere.

Hos novit, et praeit vocans
In tuta quemque pascua,
Victumque praebet: audiunt.
Sequuntur, et vivunt oves.

Quam sentit errantem jugis,
Hanc nocte quaerit ac die;
Et gaudet inventam suo
Portans ovili reddere.

Arcet frementes bestias,
Lupi retundit impetus,
Dolosque fallit, vel mori
Caro paratus pro grege.

Offert frequentem victimam
Cum plebe Pastor innocens,
Secumque devotum gregem
Pius Sacerdos immolat.

Supreme Christe Pontifex,
Jugis tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

DOCTORUM.

AD PRIMAS VESPERAS.

O qui perpetuus nos monitor doces,
Vox aeterna Patris, Christe, vicarios
Doctores, patrias cum remeas domos,
Nobis quam bene suppetis!

Hi semper vigilant, ne quid adulterum
Corrumpat fidei virgineum decus:
Laedi vel leviter non patitur fides,
His custodibus integra.

Infames abolent reliquias Deum:
Errores abigunt, crimina dedocent;
Christo restituunt, quos male credulos
Mendax luserat haeresis.

Patrum canitiem, tot venerabiles
Rugas objiciunt, unde nitet fides:
Quae sunt prisca, docent; quae nova, subruunt.
Servant depositum Dei.

Sit suprema tibi gloria, Veritas,
Quae per scripta Patrum, quando foris sonas,
Mentes interius muta doces, simul
Et te cordibus inseris.

AD OFFICIUM NOCT.

Jam nunc, quae numeras tot tibi vindices,
Effer sidereum, Relligio, caput;
Quot sunt mota tibi praelia, nobiles
Tot nectis tibi laureas.

Cum per mille neces impietas furit,
Opponis valido pectore Martyres;
Cum per mille dolos decipit haeresis,
Doctores tibi suscitās.

Quando sparsa lues undique criminum,
Hi gliscens vitium protinus amputant:
Quando plurima nox mentibus incubat,
Hi plenum revehunt diem.

Firmant instabiles, et dubios regunt:
Monstrant tuta procul littora naufragis:
Nobis, qui vehimur caeca per aequora,
Lucent perpetuae faces.

Quae dixere tuis consona sensibus,
Nostris illa, Deus, cordibus imprimas:
Quos terris colimus, quos sequimur duces,
Fac nos moribus assequi.

Sit suprema tibi gloria, Veritas,
Quae per scripta Patrum, quando foris sonas,
Nullo vocis egens corda doces sono,
Et te mentibus inseris.

AD LAUDES.

Vos succensa Deo splendida lumina,
Vos sal, nos homines quo sapimus Deum;
Aevum, puri animo, moribus integri,
Quo condimur in alterum.

Per vos Relligio, tutaque Veritas
Per vos virgineis fulget honoribus:
Per vos Christus amat pandere divites
Thesaurus sapientiae.

Vestris unda fluit pura canalibus;
Christi floret ager; munda nitet seges:
Lac aptum pueris, et solidum viris
Cauti sufficitis cibum.

Hi sunt, summe Deus, qui tibi militant;
Hi sunt, qui stabiles aedificant domos:
Una docta cohors arma tenet manu,
Muros construit altera.

Vicistis stygias vos quibus haereses,
Haec nos accipimus tela superstites:
His pugnamus adhuc, nec dubio exitu;
His armis quoque vincimus.

Sit suprema tibi gloria, Veritas,
Quae per scripta Patrum, quando foris sonas,
Nullo vocis egens corda doces sono,
Et te mentibus inseris.

PRESBYTERORUM.

AD PRIMAS ET SECUNDAS VESPERAS.

Quantis micis honoribus,
Coelo Sacerdos addite,
Cum, praemiorum prodigus,
Totum tibi dat se Deus!

Partis labore plurimo
Quot clarus es virtutibus,
Tot fulgurantem gloria
Ornant coronae verticem.

Quos parturisti Numini,
Te filii nunc ambiunt;
Tuoque laetis cantibus
Certant triumpho plaudere.

Christus tuum fit praemium,
Quem consecrasti victimam:
Dehinc aperto Numine
Te pascet, esca Coelitem.

Adhuc sacerdos, hostiam
Gratam Deo, nos devove;
Undisque mersos naufragis,
Duc ad salutis littora.

Jesu, Sacerdotum decus,
Jugis tibi sit gloria,
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

AD OFFICIUM NOCT.

Jam satis fluxit cruor hostiarum,
Pristinae cessent holocausta legis:
Christe, quos formas, meliora libant
Sacra ministri.

Elicit flammam Elias ab alto,
Mysta nunc major jubet, et potenti
Obsequens verbo Deus adstat aris,
Hostia factus,

Pingue libamen, novus et Sacerdos,
Orbe jam toto Deus immolatur:
Se manu nostra litat incruento
Funere Christus.

Tale nil priscis Patribus tributum,
Angelis nusquam data par potestas:
Se manu nostra Deus ipse cunctis
Praebet in escam.

Christe, fac semper tua sacra puro
Corde tractemus, manibusque puris;
Caritas aptos tua nos tremendis
Applicet aris.

Luminis splendor, Patris una proles,
 Christe, te pronus veneretur orbis,
 Qui sacerdotes per Amoris almi
 Flamen inungis.

AD LAUDES.

O Sacerdotum veneranda jura!
 Ceu vices Christi teneant, salutis
 Arbitri, claudunt, reserantque nobis
 Atria coeli.

Omne pendentes scelus in statera
 Cum reum solvunt, Deus ipse solvit;
 Cum ligant sontem, Deus ipse sontis
 Vincula nectit.

Quam manus morbis adhibent peritas!
 Cum secant, semper pia dextra caedit;
 Cum fovent, semper pia lenit ungens
 Vulnera dextra.

Verba dum promunt, populos fidelis
 Excipit vocem, cupidus doceri;
 Nempe divinae sacra verba legis
 Mente recondunt.

Irruens prompti cohibere fulmen,
 Stant ab adverso, Dominumque pla-
 cant,
 Vindices in nos quoties ab alto
 Depluit iras.

Dum Sacerdotes tua sacra tractant,
Christe, fac sacris quibus applicasti,
Consonent mores, populique fiat
 Forma Sacerdos.

Luminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus veneretur orbis,
Qui Sacerdotes per Amoris almi
 Flamen inungis.

ABBATUM, MONACHORUM, ET
ANACHORETARUM.

AD PRIMAS VESPERAS.

Felices nemorum pangimus incolas,
Certo consilio quos Deus abdidit,
 Ne contagio secli
 Mores laederet integros.

Ut te possideant, quem sitiunt Deum,
Urbes, regna, suos, se quoque deserunt:
 Totus viluit orbis,
 Dum coelestia cogitant.

Nudi, prompti, alacres, liberi ab omnibus,
Ad luctam pugiles ocius advolant;
 Ut vastum mare tranent,
 Prudentes onus exuunt.

Aeternas ut opes, certaue gaudia
 Securi rapiant, omnia ludicra
 Sano pectore temnunt,
 Confisi melioribus.

Illis summa fuit gloria, despici;
 Illis divitiae, pauperiem pati;
 Illis summa voluptas,
 Longo supplicio mori.

Fac nos, summe Deus, quae patimur mala
 In poenam scelerum ferre libentius;
 Et tellure relictâ,
 Immortalia quaerere.

Aeternus sit honos ingenito Patri;
 Sit par unigenae gloria Filio:
 Sacri nexus amoris,
 Laus compar tibi, Spiritus.

AD LAUDES.

Pro Coenobita.

O pulchras acies, castraque fortia,
 Quae spes, una fides, unus amor regit!
 Omnes lege sub una,
 Uno sub duce militant.

Heu! quantis rapiunt astra laboribus!
 Pusant perpetuis questibus aethera,
 Per jejunia longa
 Vires corporis atterunt.

Votis unanimes, vi quoque fletuum
Instant, et socias ingeminant preces,
Et concordibus armis
Vim coelo simul inferunt.

Haec vis grata Deo: sic amat optimus
Vinci per lacrymas, per gemitus, Pater:
Sic duris reseratur
Coelum conditionibus.

Fervent quando die cuncta tumultibus,
Altum turba silet: cetera dum tacent,
Hi per cantica rumpunt
Noctis longa silentia.

Exercet vigiles continuus labor;
Incumbunt operi non resides manus;
Tellus culta colonis
Victum suppeditat suis.

Quin regina sui mens quoque subditur,
Rectorisque studet nutibus obsequi:
Nil servat sibi juris,
Capto liberior jugo.

Aeternus sit honos ingenito Patri:
Sit par unigenae gloria Filio:
Sacri nexus amoris,
Laus compar tibi, Spiritus.

Pro Anachoreta.

Quid tu, relictis urbibus,
Mortalium consortia
Timens fugis? quid tu vides,
Solusque tecum cogitas?

Mentis volatu libero,
Percurris aeternas domos;
Et quae negas mortalibus,
Transfers Deo commercia.

Praesens choris coelestibus,
Sacro quietus otio,
Totus tuendo Numini,
Totus colendo tu, vacas.

Quam pura, qui te diligunt,
O Christe, libant gaudia!
Te propter antris abditos
Sinu recondis in tuo.

Aeterna laus et gloria
Uni sit et trino Deo,
Terrena qui calcantibus
Se prodigus dat praemium.

JUSTORUM.

AD PRIMAS ET SECUNDAS VESPERAS.

Summi pusillus grex Patris,
Timore mentem solvite :
Sui paternus vos amor
Vult esse regni compotes.

En regnat inter Coelites,
Qui vixit olim seculo
Ignotus, exosus sibi,
Qui pauper, et sciens pati.

Angusta poenitentiae
Ingressus, et viam crucis,
Per dura Christum praelia,
Per damna non timet sequi.

Carnem terit jejuniis ;
Linguam domat silentio :
In pauperum, parcus sibi,
Abscondit et spargit sinu.

Sapore verbi pascitur ;
Totoque legem pectore
Scrutatus, orat pervigil :
Mens celsa versatur polo.

Hac surgit ad coelum via :
 Et nos eadem da, Pater,
 Da, Nate, da cum Spiritu,
 Ad te venire semita.

AD OFFICIUM NOCT.

Non parta solo sanguine
 Ornat beatos purpura :
 Sunt incruenta, quae suos
 Habent triumphos, praelia.

Non iste flammas, non cruces ;
 Non sensit uncos pectines :
 Crudelis et durus sibi
 Se morte lenta conficit.

Si lictor illi defuit,
 Si vincla, fustes, unguulae ;
 Parata pro Christo mori
 Hoc supplet omne caritas.

Corpus subegit castitas,
 Et liberam mentem fides :
 Amor supernis ignibus
 Totam litavit hostiam.

Venis apertis omnibus
 Qui vellet ultro erumpere,
 Fraudatus optata via,
 It fusus in fletum cruor.

Da, Christe, sic nos vivere,
Discamus ut semper mori:
Da, post brevis vitae dies,
Vitae perennis gaudia.

Fons sanctitatis, O Deus
Aeterna Justorum quies,
Honor tibi, laus, gloria,
Nunc et per omne seculum.

AD LAUDES.

Qui te, Deus, sub intimo
Amans recepit pectore,
Non ille terras amplius
Suspirat, oblitus sui.

Quid ergo gaudes nectere
Tristes moras amantibus?
Terris retardas exules
Cives polo quos destinās.

Hinc fervet in dies amor;
In vota toti diffluunt:
Ad astra festinantibus
Fit poena vita longior.

Vix iste tardi corporis
Pondus molestum sustinet;
Prae mortis occupat diem,
Ardens Deo se jungere.

Fons sanctitatis, O Deus
 Aeterna Justorum quies,
 Honor tibi, laus, gloria,
 Nunc et per omne seculum.

VIRGINUM.

AD PRIMAS VESPERAS.

Pro Martyre.

O vos cum citharis dulce sonantibus,
 Coetus Angelici, dicite Virginem;
 Nunc aptate tubas, sumite tympana,
 Christi dicite Martyrem.

Vestris illa fuit debita coetibus,
 Quae mortalis adhuc, nobilis aemula,
 Ut vos exprimeret, dedidit genus,
 Virgo corporis immemor.

Quid non cogis amor? Fortiter ambiit
 Sponso virgineum fundere sanguinem:
 Obliti meminit tunc bene corporis,
 Praeclarae sitiens necis.

Sic qua parte minor, vos supereminet,
 Immortale genus, quae potuit mori,
 Et per damna sui corporis, integram
 Testari Domino fidem.

Patri maxima laus, maxima Filio,
Amborumque sacro gloria Flamini,
Cujus praesidio praelia sustinent,
Spreto funere, Virgines.

Pro non Martyre.

Vos O virginei cum citharis chori,
Agni deliciae, pars gregis optima,
Sponsum virgineo progenitum sinu
Puris tollite laudibus.

Haec est sacra dies, obvia qua suo
Cum plena rutilans lampade jungitur
Sponso, stansque throno proxima concinit
Virgo cantica Virgini.

Solo digna Deo conjuge, respuit
Mortales thalamos: ut semel obligat
Sese fida suo, quem bene deperit,
Ultero se Deus obligat.

Purum ne maculent pectus imagines,
In se tota sui corporis immemor
Mens sese recipit; nil oculi vident,
Surdus nil sonat auribus.

Aegro vix sua sunt pabula corpori,
Ardet mille modis ante diem mori:
Quidquid mors rapiet, jam sibi praeripit;
Unus fit Deus omnia.

Fac, o Christe, tuae Virginis aemulos,
 Hac nos ire tibi qua graditur via:
 Qui gens sancta sumus, moribus integris
 Fac soli tibi vivere.

Da te, summe Pater, tollere laudibus:
 Da te, Christe, sequi, laurea Virginum:
 Fac incensa tuis, Spiritus, ardeant
 Flammis frigida pectora.

AD OFFICIUM NOCT.

Pro Martyre.

Virginum robur, Deus, atque custos:
 Sexus imbellis, medios per enses,
 Dum faves, quas non superat virili
 Pectore mortes!

Pro tuis aris animosa Virgo
 Molle dat poenis lacerare corpus:
 Non suos sentit, memor o! tuorum,
 Christe, dolorum.

Non graves plagae, validi nec ictus
 Integram possunt violare mentem:
 Quin sacri crescit magis obstinatus
 Ardor amoris.

Sponsa dilecto placitura Sponso,
Despicit ruptum laniata corpus :
Est suus truncis honor et venustas
Est sua membris.

Omnis a recto fluit ille splendor :
Christe, sic olim cruce tensus alta,
Obsequens Patri, laceros placebas
Horridus artus.

Summa laus Patri, genitoque Verbo ;
Et tibi compar, utriusque Nexus :
Fac tibi semper placeamus uni
Moribus aequis.

Pro non Martyre.

Coelestis aula panditur :
En sponsus ; omnes obviae
Exite Sponso Virgini,
Exite, sponsae Virgines.

Haec nuptialis est dies,
Quae, longa post suspiria,
Dat omnibus, dat singulis
Jam plenius frui Deo.

Quae casta vobis gaudia,
Quos afflet ignes, dicite :
Ab ore cujus purior
Torrens voluptas effluit ?

Virginum.

Hunc propter unum viluit
 Superba regum purpura:
 Dotata quæ sponso Deo,
 Quid Virgo terris ambiat?

O virginales nuptiae,
 Per quas caro fit spiritus!
 O dulce vinculum, jungitur
 Quo mens Deo, menti Deus!

Sit laus Patri, laus Filio
 Sit par tibi laus, Spiritus,
 Divina qui perennibus
 Firmas sigillis foedera.

AD LAUDES.

Pro Martyre.

Quid sacram, Virgo, generosa Martyr,
 Ambiunt frontem duplices coronæ?
 Nempe non unum gemino reportas
 Hoste triumphum.

Mollior fregit neque te voluptas;
 Impotens flexit neque te tyrannus:
 Tu graves poenas, pariterque blandos
 Vincis amores.

Liliis Sponsus recubat, rosisque :
Tu, tuo semper bene fida Sponso,
Et rosas martyr, simul et dedisti
Lilia virgo.

Summa laus Patri, genitoque Verbo ;
Et tibi compar, utriusque Nexus :
Fac tibi semper placeamus uni
Moribus aequis.

Pro non Martyre.

Non vana dilectum gregem
Pavere mundi gaudia,
Nec pura fallax pectora
Imago lusit seculi.

Sed haec tuarum propria
Sunt, Christe, sponsarum bona,
Te semper, et tecum tuis
In te potiri gaudiis.

Castis vicissim tu tibi
In cordibus thorum struis :
Interque flammis intimo
Amans quiescis in sinu.

Hic unus est sponsis amor,
Unusque tecum spiritus ;
Beasque sponsus singulas,
In teque transformas, Deus.

Te deprecamur supplices,
 Nostris ut addas sensibus,
 Nescire prorsus omnia
 Corruptionis vulnera.

Sit laus Patri, laus Filio :
 Sit par tibi laus, Spiritus,
 Divina qui perennibus
 Firmas sigillis foedera.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Pro non Martyre.

O virgo, pectus cui sacrum,
 Amoris expers improbi,
 Intus suis ardoribus
 Sanctus perussit Spiritus !

Non te voluptas dulcibus
 Fallax venenis molliit,
 Solas amantem persequi
 Coelestis Agni nuptias.

Sic ille natus Virgine
 Suo decore ceperat,
 Ut ejus ardens ignibus
 Mundana cuncta temneres.

Beata cui nunc, Coelitum
 Inter canentium choros,
 Coelo licet perennibus
 Sponsi potiri gaudiis.

Aeterne sponse Virginum,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

SANCTARUM MULIERUM.

AD PRIMAS VESPERAS.

Ad nuptias Agni Pater
Matres et innuptas vocat:
O te beatam, cui thorus
Interque sponsas sors datur!

Lex nuptiarum caritas;
Dos magna, paupertas, tibi,
Calcere fallaces opes,
Caduca corde spernere.

Te multus oblectat labor,
Fusaeque jejunam preces:
Te poenitentem lacrymae,
Te cura pauperum juvat.

Quacumque confixam sibi,
Per probra sponsam, per cruces
Trahit Magister; et sequi
Despecta gaudes, et pati.

Beata quae sponso Deo
Castis adhaeret vinculis :
Sic corpus unum possumus,
Sic unus esse spiritus.

Hoc praestet almo cum Patre,
Natoque nobis Spiritus,
Qui trinus ac unus Deus
Regnat per omne seculum.

AD OFFICIUM NOCT.

Adeste, sanctae Coniuges ;
En illa fortis Femina,
Ornata quae virtutibus
Inter triumphat Coelites.

Blandos ut hostes vinceret,
Hanc fortitudo vestiit :
Ut prosit intuentibus,
Coelestis ornavit decor.

Non vana pompa seculi
Sensus fefellit, nec malis
Gliscens voluptas artibus
Virile pectus molliit.

Non illa luxu vestium,
Non crine torto splenduit :
Cultu nitens sed simplice,
Puris placebat moribus.

Se sub serenis vultibus
Austera virtus occulit :
Timet videri, ne suum,
Dum prodit, amittat decus.

Pascenda coelesti cibo,
Sacris studebat litteris ;
Templo frequens, sed sedula
Redibat ad curam domus.

Agni vocans ad nuptias,
Tibi, Pater, sit gloria :
Sit aequa Nato, nec minor
Laus utriusque Flamini.

AD LAUDES.

Ardet Deo quae Femina,
Latere frustra cogitat :
Quot indigos haec sublevat,
Tot proditur praeconibus.

Prodesse quaerit omnibus,
Curis honestis anxia ;
Patrona custos virginum,
Secunda mater orphanis.

Pannis latentem vilibus
Christum fovebat hospitem :
Quas dura subtraxit sibi,
Opes refundit prodiga.

Pacem domi, pacem foris
Alto colit silentio;
Lites amat componere,
Ut una mens sit omnibus.

Aeterne tu Verbi Pater,
Aeterne Fili par Patri,
Et par utrique Spiritus,
Tibi, Deus, sit gloria.

AD SECUNDAS VESPERAS.

O jam beata, quae suo
Tandem soluta corpore,
Vinclis perennioribus
Uni Deo conjungitur !

Per quos gradus coelum petit,
Hac ire vos omnes docet,
Junctae jugali vinculo,
Et vos solutae Conjuges.

Insignis et nos Feminae
Sequi decet vestigia,
Magnum vel ipsis quae fuit
Virtutis exemplum viris.

Queis arsit illa, fac, Deus,
Flagremus et nos ignibus;
Eoque, quo te vis colit,
Amore fac mens te colat.

Aeterne tu Verbi Pater,
Aeterne Fili par Patri,
Et par utrique Spiritus,
Tibi, Deus, sit gloria.

IN OFFICIO DEDICATIONIS
ECCLESIAE.

AD OFFICIUM NOCT.

Patris aeterni Soboles coeva,
Dum tuae sacros pia plebs honores
Aedis instaurat, Deus alme, nostris
Annue votis.

Hic sacri fontis latices ab ortu
Inditi purgant maculam reatus :
Hic et infusum nova membra Christo
Chrisma coaptat.

Hic sua pascit populos fideles
Carne, qui mundi scelus omne tollit
Agnus, et fusi pretium cruoris
Ipse propinat.

Hic salus aegris animis paratur :
Hic reos judex facilis relaxat,
Atque lethalem rediviva pellit
Gratia culpam.

Cujus in coelo thronus est perennis,
 Incolit parvam Deus altus aedem :
 Hic adorator sibi quisque sedem
 Praeparat astris.

Nullus hanc turbo quatit, irruentis
 Nulla vis nimbi, rapideve fluctus :
 Cedit hanc contra furor inferorum
 Irritus omnis.

Laus Deo, virtus, honor, et potestas
 Una sit Patri, parilique Proli :
 Par sit amborum tibi nexus omni,
 Spiritus, aevo.

AD LAUDES.

Urbs beata, vera pacis
 Visio, Jerusalem,
 Quanta surgit! celsa saxis
 Conditur viventibus :
 Quae polivit, haec coaptat
 Sedibus suis Deus.

Singulis ex margaritis
 Singulae portae nitent :
 Murus omnis fulget auro,
 Fulget unionibus :
 Angularis petra Christus
 Fundat urbis moenia.

Ejus est sol caesus Agnus,
Ejus est templum Deus :
Aemulantes hic beati
Puriores Spiritus,
Laude jugi Numen unum
Terque Sanctum concinunt.

Hinc et inde sunt aperta
Civitatis ostia :
Quisquis ambit huc venire,
Inserique moenibus,
Ante duris hic probari
Debit laboribus.

Sit perennis laus Parenti ;
Sit perennis Filio :
Laus tibi, qui nectis ambos,
Sit perennis, Spiritus,
Chrisma cujus nos inungens
Viva templa consecrat.

AD PRIMAS ET SECUNDAS VESPERAS.

Ecce sedes hic Tonantis,
Ecce coeli janua :
Hic sacerdos, ara, templum,
Hic Deus fit hostia ;
Incruenta morte jugis
Hic amor litat Deum.

Qualis ara, quanta sedes
Ipsius capax Dei!
Quem nec universa terra,
Omne nec coelum capit,
Orbe parvo se coarctans,
Hic latere sustinet.

Quam libenter hic pudicis
Inserit se cordibus!
Hic amantis tota Christi
Exerit se caritas:
Hic Pater caros sedere
Gestit inter filios.

Hinc facesse quem profana
Polluit contagio,
Neu sacrum transire limen
Inquinatus audeas:
Ultor adstat cum flagellis
Puniens sontes Deus.

Sit perennis laus Parenti;
Sit perennis Filio:
Laus tibi, qui nectis ambos,
Sit perennis, Spiritus,
Chrisma cujus nos inungens
Viva templa consecrat.

DOXOLOGIAE.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Sancto simul cum Spiritu,
Nunc et per omne seculum.

IN NATIVITATE DOMINI.

Qui natus es de Virgine,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Qui te revelas Gentibus,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

IN OCTAVA EPIPHANIAE.

Mundi scelus qui diluis,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

IN TEMPORE PASCHALI.

Da, Christe, nos tecum mori;
 Tecum simul da surgere:
 Terrena da contemnere;
 Amare da coelestia.

Sit laus Patri; laus Filio,
 Qui nos, triumphata nece,
 Ad astra secum dux vocat:
 Compar tibi laus, Spiritus.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Da, Christe, nos tecum mori;
 Tecum simul da surgere:
 Terrena da contemnere;
 Amare da coelestia.

Qui victor ad coelum redis,
 Jesu, tibi sit gloria
 Cum Patre, cumque Spiritu,
 In sempiterna secula.

IN OCTAVA ASCENSIONIS.

Da, Christe, nos tecum mori;
 Tecum simul da surgere:
 Terrena da contemnere;
 Amare da coelestia.

Venture Judex seculi,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

POST OCTAVAM ASCENSIONIS.

Da, Christe, nos tecum mori;
Tecum simul da surgere:
Terrena da contemnere;
Amare da coelestia.

Qui Patris ad dextram sedes,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

IN DIE PENTECOSTES.

Sit laus Patri; laus Filio:
Par sit tibi laus, Spiritus,
Afflante quo mentes sacris
Lucent et ardent ignibus.

IN ANNUNCIATIONE DOMINI.

Mundo redemptor qui venis,
Fili, tibi laus maxima
Cum Patre: nec tibi minor
Laus, utriusque Spiritus.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Qui carne nos pascis tua,
 Sit laus tibi, Pastor bone,
 Cum Patre, cumque Spiritu,
 In sempiterna secula.

IN TRANSFIGURATIONE DOMINI.

Qui, nube rupta, te palam
 Natum vocavit, laus Patri;
 Tibique Nato; nec minor
 Laus utriusque Flamini.

IN SUSCEPTIONE SANCTAE CRUCIS.

Qui per crucem nos liberas,
 Fili, tibi laus maxima
 Cum Patre: nec tibi minor
 Laus, utriusque Spiritus.

IN APOSTOLIS.

Uni sit et trino Deo
 Suprema laus, summum decus,
 De nocte qui nos ad suae
 Lumen vocavit gloriae.

IN EVANGELISTIS.

Fons sanctitatis, o Deus,
 Aeterna Sanctorum quies,
 Te laudet omnis spiritus,
 Nunc et per omne seculum.

IN UNO MARTYRE.

Fortem coronans militem,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

IN PLURIBUS MARTYRIBUS.

Sit laus Patri, laus Filio;
Par sit tibi laus, Spiritus,
Qui praeliantes roboras,
Palmisque donas Martyrum.

IN PONTIFICIBUS.

Supreme Christe Pontifex,
Jugis tibi sit gloria,
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

IN DOCTORIBUS.

Qui vera lux es mentium,
Jesu, tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

IN PRESBYTERIS.

Jesu, Sacerdotum decus,
Jugis tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu,
In sempiterna secula.

IN ABBATIBUS, ETC.

Aeterna laus et gloria
 Uni sit et trino Deo,
 Terrena qui calcantibus
 Se prodigus dat praemium.

IN JUSTIS.

Fons sanctitatis, o Deus,
 Aeterna Justorum quies,
 Honor tibi, laus, gloria,
 Nunc et per omne seculum.

IN VIRGINIBUS.

Aeterne Sponse Virginum,
 Jesu, tibi sit gloria
 Cum Patre, cumque Spiritu,
 In sempiterna secula.

IN SANCTIS MULIERIBUS.

Agni vocans ad nuptias,
 Tibi, Pater, sit gloria:
 Sit aequa Nato, nec minor
 Laus utriusque Flamini.

IN OFFICIO DEDIC. ECCLESIAE.

Sit laus Patri, laus Filio;
 Par sit tibi laus, Spiritus,
 Divina cujus unctio
 Nos templa Christo consecrat.

HYMNI ECCLESIAE.


PARS II.

E BREVIARIIS

ROMANO, SARISBURIENSI,

EBORACENSI ET

ALIUNDE.



PRAEFATIO.

NE mirum tibi, Lector benevole, videatur, Hymnos, quos in manibus habes, et materie vetustos et stilo, hodiernis typis et hodiernorum favori esse commendatos. Non enim abs te exigitur, ut quicquid hic scriptum inveneris, id in sinum tuum recipias illico, absque animi ulla exercitatione aut iudicio tuo. Neque qui totum aliquid edit in publicum, illum oportet universi operis in singula quaeque jurare, aut in rerum squalore immorari quod in antiquitate versatur. Alia nimirum sunt in monumentis veterum simplicis ac pristinae naturae elementa ; prorsus aliud concretum vitium, et sordes temporum. Cordati autem hominis est, neque obsoleta pro priscis, nec peregrina pro falsis habere.

Quod quidem optimo consilio actum est olim a patribus

PRAEFATIO.

nostris, qui, caeco quodam reformationis, quam vocant, aestu in Ecclesia passim fervente, e religionibus suis, non quae exterorum studium posceret, sed quae vis extorqueret, missa fecerunt; a malesana philosophia ereptis caeteris, ea concedendo, quae sanctitatem plane nullam, parem autem invidiam haberent. Hinc illi, quibus nunc utimur, ritus et caeremoniae; hinc rerum divinarum ordo; hinc et disciplinae nostrae forma et agendi ratio repetenda est.


Quod si fiat quaestio, cur diligentissimi viri, cum nostra omnia retractarent, hymnodiam solum intactam, et tanquam desperatam, ne dicam improbatam reliquerint, id vero ex ejusmodi silentio minime colligendum erit. Nam, cum statutum esset, ut cultus divinus, eo usque in Latino idiomate absolutus, transiret in vernaculam, quis daret, ut qui possent aliquid in rebus reformandis, ii in poetica florerent simul, verba autem in versum et quaestiones ad veritatis normam, pari solertia redigerent? Unde factum est, ut in officiis divinis, dum habemus caetera, hymnos non habeamus.

Quare in hac Ecclesiae nostrae qualicunque inopia, hoc tempore, Lector benevole, tibi apponenda statuimus illa vel illorum similia, quae nostri in saeculo decimo sexto, cum sua essent, de manibus prudenter amiserunt; non illa, ex omni

PRAEFATIO.

parte approbanda, sed aspersa maculis, ita vero ut modo vix quicquam improbes, modo improbes, at neque ut rejicias nec tamen ut possis mederi. Nam quae tota reprobanda erant, ista scilicet tota omisimus; caetera subjicimus judicio tuo.

J. H. N.



<i>Hymni e Breviario Romano</i>	217
<i>Hymni e Breviario Sarisburiensi</i>	309
<i>Hymni e Breviario Eboracensi</i>	347
<i>Prosae e Missali Parisiensi</i>	361
<i>Prosae e Processionali Eboracensi</i>	385



HYMNI

E BREVIARIO ROMANO.



H Y M N I.

DOMINICA.

AD MATUTINUM.

Per Hyemem.

Primo die, quo Trinitas
Beata mundum condidit,
Vel quo resurgens Conditor
Nos morte victa liberat :

Pulsis procul torporibus
Surgamus omnes ocyus,
Et nocte quaeramus Deum,
Propheta sicut praecipit :

Nostras preces ut audiat,
Suamque dextram porrigat,
Et expiatis sordibus
Reddat polorum sedibus.

Ut, quique sacratissimó
Hujus diei tempore
Horis quietis psallimus,
Donis beatis muneret.

Dominica.

Jam nunc paterna claritas
 Te postulamus affatim,
 Absint faces libidinis,
 Et omnis actus noxius.

Ne foeda sit, vel lubrica
 Compago nostri corporis,
 Ob cujus ignes ignibus
 Avernus urat acrius.

Mundi Redemptor, quaesumus,
 Tu probra nostra diluas :
 Nobisque largus commoda
 Vitae perennis conferas.

Praesta, Pater piissime,
 Patrique compar Unice
 Cum Spiritu Paraclito
 Regnans per omne saeculum.

Per Aestatem.

Nocte surgentes vigilemus omnes,
 Semper in psalmis meditemur, atque
 Voce concordi Domino canamus
 Dulciter hymnos.

Ut pio Regi pariter canentes,
 Cum suis Sanctis mereamur aulam
 Ingredi coeli, simul et perennem
 Ducere vitam.

Praestet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque Sancti
Spiritus, cujus resonat per omnem
Gloria mundum.

AD LAUDES.

Per Hyemem.

Aeterne rerum conditor,
Noctem diemque qui regis,
Et temporum das tempora,
Ut alleves fastidium.

Nocturna lux vianibus
A nocte noctem segregans,
Praeco diei jam sonat,
Jubarque solis evocat.

Hoc excitatus Lucifer
Solvit polum caligine,
Hoc omnis erronum cohors
Viam nocendi deserit.

Hoc nauta vires colligit,
Pontique mitescunt freta:
Hoc, ipsa petra Ecclesiae,
Canente, culpam diluit.

Dominica.

Surgamus ergo strenue,
 Gallus jacentes excitat,
 Et somnolentos increpat,
 Gallus negantes arguit.

Gallo canente spes redit,
 Aegris salus refunditur,
 Mucro latronis conditur,
 Lapsis fides revertitur.

Jesu, labantes respice,
 Et nos videndo corrige:
 Si respicis, labes cadunt,
 Fletuque culpa solvitur.

Tu lux refulge sensibus,
 Mentisque somnum discute:
 Te nostra vox primum sonet,
 Et vota solvamus tibi.

Deo Patri sit gloria,
 Ejusque soli Filio,
 Cum Spiritu Paraclito,
 Nunc, et per omne saeculum.

Per Aestatem.

Ecce jam noctis tenuatur umbra,
 Lux et aurorae rutilans coruscat,
 Supplices rerum Dominum canora
 Voce precemur.

Ut reos culpae miseratus, omnem
Pellat angorem, tribuat salutem,
Donet et nobis bona sempiternae
Munera pacis.

Praestet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque sancti
Spiritus, cujus resonat per omnem
Gloria mundum.

Per Hebdomadam.

AD PRIMAM.

Jam lucis orto sidere
Deum precemur supplices,
Ut in diurnis actibus,
Nos servet a nocentibus.

Linguam refraenans temperet,
Ne litis horror insonet:
Visum fovendo contegat,
Ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima;
Absistat et vecordia:
Carnis terat superbiam
Potus cibique parcitas:

Ut cum dies abscesserit,
 Noctemque sors reduxerit,
 Mundi per abstinentiam
 Ipsi canamus gloriam.

Deo Patri sit gloria,
 Ejusque soli Filio,
 Cum Spiritu Paraclito,
 Nunc, et per omne saeculum.

Per Hebdomadam.

AD TERTIAM.

Nunc sancte nobis Spiritus,
 Unum Patri cum Filio,
 Dignare promptus ingeri
 Nostros refusus pectori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor
 Confessionem personent,
 Flammescat igne charitas,
 Accendat ardor proximos.

Praesta, Pater piissime,
 Patrique compar Unice,
 Cum Spiritu Paraclito
 Regnans per omne saeculum.

Per Hebdomadam.

AD SEXTAM.

Rector potens, verax Deus,
Qui temperas rerum vices,
Splendore mane illuminas,
Et ignibus meridiem :

Extingue flammam litium,
Aufer calorem noxium,
Confer salutem corporum,
Veramque pacem cordium.

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum.

Per Hebdomadam.

AD NONAM.

Rerum Deus tenax vigor,
Immotus in te permanens,
Lucis diurnae tempora
Successibus determinans :

Largire lumen vespere,
Quo vita nusquam decadat,
Sed praemium mortis sacrae
Perennis instet gloria.

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum.

AD VESPERAS.

Lucis Creator optime,
Lucem dierum proferens,
Primordiis lucis novae
Mundi parans originem.

Qui mane junctum vesperi
Diem vocari praecipis,
Illabitur tetrum chaos,
Audi preces cum fletibus.

Ne mens gravata crimine,
Vitae sit exul munere,
Dum nil perenne cogitat,
Seseque culpis illigat.

Coeleste pulset ostium :
Vitale tollat praemium :
Vitemus omne noxium,
Purgemus omne pessimum.

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum.

Per Hebdomadam.

AD COMPLETORIUM.

Te lucis ante terminum
Rerum Creator poscimus,
Ut pro tua clementia,
Sis praesul et custodia.

Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata;
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum.

FERIA II.

AD MATUTINUM.

Somno reffectis artubus,
Spreto cubili surgimus;
Nobis, Pater, canentibus
Adesse te deposcimus.

Te lingua primum concinat,
Te mentis ardor ambiat:
Ut actuum sequentium
Tu, sancte, sis exordium.

Cedant tenebrae lumini :
 Et nox diurno sideri :
 Ut culpa, quam nox intulit,
 Lucis labascat munere.

Precamur iidem supplices,
 Noxas ut omnes amputes,
 Et ore te canentium
 Lauderis omni tempore.

Praesta, Pater piissime,
 Patrique compar Unice,
 Cum Spiritu Paraclito
 Regnans per omne saeculum.

AD LAUDES.

Splendor Paternae gloriae,
 De luce lucem proferens,
 Lux lucis, et fons luminis,
 Diem dies illuminans :

Verusque sol illabere,
 Micans nitore perpeti :
 Jubarque sancti Spiritus
 Infunde nostris sensibus.

Votis vocemus et Patrem,
 Patrem potentis gratiae,
 Patrem perennis gloriae,
 Culpam releget lubricam.

Confirmet actus strenuos,
Dentes retundat invidi:
Casus secundet asperos:
Agenda recte dirigat.

Mentem gubernet, et regat;
Sit pura nobis castitas:
Fides calore ferveat:
Fraudis venena nesciat.

Christusque nobis sit cibus,
Potusque noster sit fides,
Laeti bibamus sobriam
Profusionem Spiritus.

Laetus dies hic transeat:
Pudor sit ut diluculum:
Fides velut meridies:
Crepusculum mens nesciat.

Aurora lucem provehit,
Cum luce nobis prodeat,
In Patre totus Filius,
Et totus in Verbo Pater.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, et per omne saeculum.

AD VESPERAS.

Immense coeli Conditor,
Qui mixta ne confunderent,
Aquae fluenta dividens,
Coelum dedisti limitem.

Firmans locum coelestibus,
Simulque terrae rivulis,
Ut unda flammam temperet,
Terrae solum ne dissipent.

Infunde nunc, piissime,
Donum perennis gratiae:
Fraudis novae ne casibus
Nos error atterat vetus.

Lucem Fides adaugeat:
Sic luminis jubar ferat:
Haec vana cuncta proterat,
Hanc falsa nulla comprimant.

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum.

FERIA III.

AD MATUTINUM.

Consors Paterni luminis,
Lux ipse lucis, et dies,
Noctem canendo rumpimus,
Assiste postulantibus.

Aufer tenebras mentium :
Fuga catervas daemonum ;
Expelle somnolentiam,
Ne pigritantes obruat.

Sic Christe nobis omnibus
Indulgeas credentibus,
Ut prosit exorantibus,
Quod praecinentes psallimus.

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum.

AD LAUDES.

Ales diei nuntius
Lucem propinquam praecinit,
Nos excitator mentium
Jam Christus ad vitam vocat.

Auferte, clamat, lectulos,
 Aegro sopore desides:
 Castique, recti, ac sobrii
 Vigilare: jam sum proximus.

Jesum ciamus vocibus,
 Flentes, precantes, sobrii:
 Intenta supplicatio
 Dormire cor mundum vetat.

Tu Christe somnum discute:
 Tu rumpe noctis vincula:
 Tu solve peccatum vetus,
 Novumque lumeningere.

Deo Patri sit gloria,
 Ejusque soli Filio,
 Cum Spiritu Paraclito,
 Nunc, et per omne saeculum.

AD VESPERAS.

Telluris alme Conditor,
 Mundi solum qui separans,
 Pulsis aquae molestiis,
 Terram dedisti immobilem:

Ut germen aptum proferens,
 Fulvis decora floribus,
 Fecunda fructu sisteret,
 Pastumque gratum redderet.

Mentis perustae vulnera
Munda virore gratiae:
Ut facta fletu diluat,
Motusque pravos atterat.

Jussis tuis obtemperet:
Nullis malis approximet:
Bonis repleti gaudeat,
Et mortis ictum nesciat.

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum.

FERIA IV.

AD MATUTINUM.

Rerum Creator optime,
Rectorque noster, aspice;
Nos a quiete noxia
Mersos sopore libera.

Te, sancte Christe, poscimus:
Ignosce culpis omnibus:
Ad confitendum surgimus,
Morasque noctis rumpimus.

Mentes manusque tollimus,
Propheta sicut noctibus
Nobis gerendum praecipit,
Paulusque gestis censuit.

Vides malum quod fecimus:
Occulta nostra pandimus:
Preces gementes fundimus,
Dimitte quod peccavimus.

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum.

AD LAUDES.

Nox, et tenebrae, et nubila,
Confusa mundi, et turbida:
Lux intrat: albescit polus:
Christus venit: discedite.

Caligo terrae scinditur
Percussa solis spiculo,
Rebusque jam color redit,
Vultu nitentis sideris.

Te, Christe, solum novimus,
Te mente pura, et simplici,
Flendo, et canendo, quaesumus,
Intende nostris sensibus.

Sunt multa fucis illita,
Quae luce purgentur tua :
Tu vera lux coelestium
Vultu sereno illumina.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, et per omne saeculum.

AD VESPERAS.

Coeli Deus sanctissime,
Qui lucidas mundi plagas
Candore pingis igneo,
Augens decoro lumine :

Quarto die qui flammeam
Dum solis accendis rotam ;
Lunae ministras ordinem,
Vagosque cursus siderum :

Ut noctibus, vel lumini
Diremptionis terminum,
Primordiis et mensium
Signum dares notissimum.

Expelle noctem cordium :
Absterge sordes mentium :
Resolve culpae vinculum :
Everte moles criminum.

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum.

FERIA V.

AD MATUTINUM.

Nox atra rerum contegit
Terrae colores omnium;
Nos confitentes poscimus
Te, juste Judex cordium,

Ut auferas piacula,
Sordesque mentis abluas,
Donesque, Christe, gratiam,
Ut arceantur crimina.

Mens ecce torpet impia,
Quam culpa mordet noxia:
Obscura gestit tollere,
Et te, Redemptor, quaerere.

Repelle tu caliginem
Intrinsecus quam maxime;
Ut in beato gaudeat
Se collocari lumine.

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum.

AD LAUDES.

Lux ecce surgit aurea :
Pallens facessat caecitas,
Quae nosmet in praeceps diu
Errore traxit devio.

Haec lux serenum conferat,
Purosque nos praestet sibi ;
Nihil loquamur subdolum :
Volvamus obscurum nihil.

Sic tota decurrat dies,
Ne lingua mendax, ne manus,
Oculive peccent lubrici,
Ne noxa corpus inquinet.

Speculator adstat desuper,
Qui nos diebus omnibus,
Actusque nostros prospicit
A luce prima in vesperum.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, et per omne saeculum.

AD VESPERAS.

Magnae Deus potentiae,
Qui fertili natos aqua
Partim relinquis gurgiti,
Partim levas in aëra.

Demersa lymphis imprimens,
Subvecta coelis erigens:
Ut stirpe ab una prodita,
Diversa repleant loca.

Largire cunctis servulis,
Quos mundat unda sanguinis,
Nescire lapsus criminum,
Nec ferre mortis taedium.

Ut culpa nullum deprimat;
Nullum efferat jactantia:
Elisa mens ne concidat:
Elata mens ne corruat.

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum.

FERIA VI.

AD MATUTINUM.

Tu Trinitatis Unitas,
Orbem potenter quae regis,
Attende laudis canticum,
Quod excubantes psallimus.

Nam lectulo consurgimus
Noctis quieto tempore,
Ut flagitemus omnium
A te medelam vulnerum.

Quo fraude quidquid daemonum
In noctibus deliquimus;
Abstergat illud coelitus
Tuae potestas gloriae.

Ne corpus adstet sordidum,
Nec torpor instet cordium,
Nec criminis contagio
Tepescat ardor spiritus.

Ob hoc Redemptor, quaesumus,
Reple tuo nos lumine,
Per quod dierum circulis,
Nullis ruamus actibus.

Praesta, Pater piissime,
 Patrique compar Unice,
 Cum Spiritu Paraclito
 Regnans per omne saeculum.

AD LAUDES.

Aeterna coeli gloria,
 Beata spes mortalium,
 Summi Tonantis Unice,
 Castaeque proles Virginis :

Da dexteram surgentibus,
 Exurgat ut mens sobria,
 Flagrans et in laudem Dei
 Grates rependat debitas.

Ortus refulget lucifer,
 Praeitque solem nuntius :
 Cadunt tenebrae noctium :
 Lux sancta nos illuminet :

Manensque nostris sensibus,
 Noctem repellat saeculi,
 Omnique fine temporis
 Purgata servet pectora.

Quaesita jam primum Fides
 In corde radices agat,
 Secunda Spes congaudeat,
 Qua major extat Charitas.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, et per omne saeculum.

AD VESPERAS.

Hominis superne Conditor,
Qui cuncta solus ordinans,
Humum jubes producere
Reptantis et ferae genus :

Et magna rerum corpora,
Dictu jubentis vivida,
Per temporum certas vices
Obtemperare servulis :

Repelle, quod cupidinis
Ciente vi nos impetit,
Aut moribus se suggerit,
Aut actibus se interserit.

Da gaudiorum praemia,
Da gratiarum munera :
Dissolve litis vincula,
Adstringe pacis foedera.

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum.

SABBATO.

AD MATUTINUM.

Summae Parens clementiae,
Mundi regis qui machinam,
Unius et substantiae,
Trinusque personis Deus.

Nostros pius cum canticis
Fletus benigne suscipe;
Ut corde puro sordium
Te perfruamur largius.

Lumbos, jecurque morbidum
Flammis adure congruis;
Accincti ut artus excubent
Luxu remoto pessimo.

Quicumque ut horas noctium
Nunc concinendo rumpimus,
Ditemur omnes affatim
Donis beatæ patriæ.

Praesta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum.

AD LAUDES.

Aurora jam spargit polum :
Terris dies illabitur ;
Lucis resultat spiculum :
Discedat omne lubricum.

Phantasma noctis exulet :
Mentis reatus corruat :
Quidquid tenebris horridum
Nox attulit culpae, cadat.

Ut mane, quod nos ultimum
Hic deprecamur cernui ;
Cum luce nobis effluat,
Hoc dum canore concrepat.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, et per omne saeculum.

AD VESPERAS.

Jam sol recedit igneus,
Tu lux perennis Unitas,
Nostris, beata Trinitas,
Infunde lumen cordibus.

Te mane laudum carmine,
Te deprecamur vespere:
Digneris, ut te supplices
Laudemus inter Coelites.

Patri, simulque Filio,
Tibique sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Saeclum per omne gloria.

HYMNI DE TEMPORE.

SABBATO ANTE DOMINICAM

I. ETC. ADVENTUS.

AD VESPERAS.

Creator alme siderum,
Aeterna lux credentium,
Jesu Redemptor omnium,
Intende votis supplicum.

Qui, daemonis ne fraudibus
Periret orbis, impetu
Amoris actus, languidi
Mundi medela factus es.

Commune qui mundi nefas
Ut expiaries, ad crucem
E Virginis Sacratio
Intacta prodis victima.

Cujus potestas gloriae,
Nomenque cum primum sonat.
Et Coelites, et inferi
Tremante curvantur genu.

Te deprecamur ultimae
Magnum diei Judicem;
Armis supernae gratiae
Defende nos ab hostibus.

Virtus, honor, laus, gloria,
Deo Patri, cum Filio,
Sancto simul Paraclito,
In saeculorum saecula.

PER ADVENTUM.

AD MATUTINUM.

Verbum supernum prodiens
E Patris aeterni sinu,
Qui natus orbi subvenis,
Labente cursu temporis;

Illumina nunc pectora,
Tuoque amore concrema;
Ut cor caduca deserens
Coeli voluptas impleat.

Ut cum tribunal Judicis
Damnabit igni noxios,
Et vox amica debitum
Vocabit ad coelum pios;

Non esca flammaram nigros
Volvamur inter turbines,
Vultu Dei sed compotes
Coeli fruamur gaudiis.

Patri, simulque Filio,
Tibique, sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Saeclum per omne gloria.

AD LAUDES.

En clara vox redarguit
Obscura quaeque personans :
Procul fugentur somnia :
Ab alto Jesus promicat.

Mens jam resurgat torpida,
Non amplius jacens humi :
Sidus refulget jam novum,
Ut tollat omne noxium.

En Agnus ad nos mittitur
Laxare gratis debitum :
Omnes simul cum lacrymis
Precemur indulgentiam :

Ut cum secundo fulserit,
Metuque mundum cinxerit,
Non pro reatu puniat,
Sed nos pius tunc protegat.

Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito,
In saeculorum saecula.

IN NATIVITATE DOMINI.

AD VESPERAS.

Jesu Redemptor omnium,
Quem lucis ante originem
Parem Paternae gloriae
Pater supremus edidit.

Tu lumen, et splendor Patris,
Tu spes perennis omnium,
Intende quas fundunt preces
Tui per orbem servuli.

Memento, rerum Conditor,
Nostri quod olim corporis,
Sacrata ab alvo Virginis
Nascendo, formam sumpseris.

Testatur hoc praesens dies
Currens per anni circulum,
Quod solus e sinu Patris
Mundi salus adveneris.

Hunc astra, tellus, aequora,
Hunc omne, quod coelo subest,
Salutis Auctorem novae
Novo salutat cantico.

Et nos, beata quos sacri
Rigavit unda sanguinis,
Natalis ob diem tui
Hymni tributum solvimus.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula.

AD LAUDES.

A solis ortus cardine
Ad usque terrae limitem,
Christum canamus Principem,
Natum Maria Virgine.

Beatus auctor saeculi
Servile corpus induit,
Ut carne carnem liberans,
Ne perderet quos condidit.

Castae Parentis viscera
Coelestis intrat gratia :
Venter Puellae bajulat
Secreta, quae non noverat.

Domus pudici pectoris
Templum repente fit Dei :
Intacta nesciens virum,
Concepit alvo Filium.

Enititur puerpera,
Quem Gabriel praedixerat,
Quem ventre matris gestiens,
Baptista clausum senserat.

Foeno jacere pertulit:
Praesepe non abhorruit:
Et lacte modico pastus est,
Per quem nec ales esurit.

Gaudet chorus coelestium,
Et angeli canunt Deo:
Palamque fit pastoribus
Pastor, Creator omnium.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula.

IN FESTO SS. INNOCENTIIUM.

AD MATUTINUM.

Audit tyrannus anxius
Adesse regum Principem,
Qui nomen Israel regat,
Teneatque David regiam.

Exclamat amens nuntio :
Successor instat, pellimur :
Satelles i, ferrum rape :
Perfunde cunas sanguine.

Quid proficit tantum nefas ?
Quid crimen Herodem juvat ?
Unus tot inter funera
Impune Christus tollitur.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula.

AD LAUDES.

Salvete flores Martyrum,
Quos lucis ipso in lumine
Christi insecutor sustulit,
Ceum turbo nascentes rosas.

Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener,
Aram sub ipsam simplices
Palma et coronis luditis.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula.

IN EPIPHANIA DOMINI.

AD VESPERAS.

Crudelis Herodes, Deum
Regem venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat coelestia.

Ibant Magi, quam viderant,
Stellam sequentes praeiviam:
Lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere.

Lavacra puri gurgitis
Coelestis Agnus attigit,
Peccata, quae non detulit,
Nos abluendo sustulit.

Novum genus potentiae:
Aquae rubescunt hydriae,
Vinumque jussa fundere,
Mutavit unda originem.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui apparuisti gentibus,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula.

AD LAUDES.

O sola magnarum urbium
Major Bethlem, cui contigit
Ducem salutis coelitus
Incorporatum gignere :

Quem stella, quae solis rotam
Vincit decore ac lumine,
Venisse terris nuntiat
Cum carne terrestri Deum.

Videre postquam illum Magi,
Eoa promunt munera ;
Stratique votis offerunt
Thus, myrrham, et aurum regium.

Regem Deumque annuntiant
Thesaurus et fragrans odor
Thuris Sabaei; ac myrreus
Pulvis sepulchrum praedocet.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui apparuisti gentibus,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula.

PER QUADRAGESIMAM.

SABBATO.

AD VESPERAS.

Audi, benigne Conditor,
Nostras preces cum fletibus,
In hoc sacro jejunio
Fusas quadragenario.

Scrutator alme cordium,
Infirma tu scis virium:
Ad te reversis exhibe
Remissionis gratiam.

Multum quidem peccavimus,
Sed parce confitentibus:
Ad nominis laudem tui
Confer medelam languidis.

Concede nostrum conteri
Corpus per abstinenciam:
Culpa ut relinquunt pabulum
Jejuna corda criminum.

Praesta beata Trinitas,¹
Concede simplex Unitas,
Ut fructuosa sint tuis
Jejuniorum munera.

DOMINICA.

AD MATUTINUM.

Ex more docti mystico
Servemus hoc jejunium,
Deno dierum circulo
Ducto quater notissimo.

Lex et Prophetæ primitus
Hoc prætulerunt, postmodum
Christus sacravit, omnium
Rex atque Factor temporum.

Utamur ergo parcius
Verbis, cibis, et potibus,
Somno, jocis, et arctius
Perstemus in custodia.

Vitemus autem noxia,
Quæ subruunt mentes vagas,
Nullumque demus callidi
Hostis locum tyrannidi.

Flectamus iram vindicem,
Ploremus ante Judicem,
Clamemus ore supplici,
Dicamus omnes cernui :

Nostris malis offendimus
Tuam Deus clementiam :
Effunde nobis desuper
Remissor indulgentiam.

Memento quod sumus tui,
 Licet caduci, plasmatis :
 Ne des honorem nominis
 Tui, precamur, alteri.

Laxa malum quod fecimus,
 Auge bonum quod poscimus ;
 Placere quo tandem tibi
 Possimus hic, et perpetim.

Praesta beata Trinitas,
 Concede simplex Unitas ;
 Ut fructuosa sint tuis
 Jejuniorum munera.

AD LAUDES.

O sol salutis, intimis
 Jesu refulge mentibus,
 Dum nocte pulsa gratior
 Orbi dies renascitur.

Dans tempus acceptabile,
 Da, lachrymarum rivulis
 Lavare cordis victimam,
 Quam laeta adurat Charitas.

Quo fonte manavit nefas,
 Fluent perennes lacrymae,
 Si virga poenitentiae
 Cordis rigorem conterat.

Dies venit, dies tua,
In qua reflorent omnia:
Laetemur et nos in viam
Tua reducti dextera.

Tē prona mundi machina
Clemens adoret Trinitas,
Et nos novi per gratiam
Novum canamus canticum.

SABBATO ANTE DOMINICAM
PASSIONIS.

AD VESPERAS.

Vexilla regis prodeunt,
Fulget crucis mysterium,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.

Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda et sanguine.

Impleta sunt, quae concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus.

Arbor decora et fulgida,
 Ornata regis purpura,
 Electa digno stipite
 Tam sancta membra tangere.

Beata, cujus brachiis
 Pretium pependit saeculi,
 Statera facta corporis,
 Tulitque praedam tartari.*

Te, fons salutis Trinitas,
 Collaudet omnis spiritus:
 Quibus crucis victoriam
 Largiris, adde praemium.

DOMINICA DE PASSIONE,

Et infra Hebdomadam Passionis.

AD MATUTINUM.

Pange lingua gloriosi
 Lauream certaminis,

* O crux ave spes unica,
 Hoc passionis tempore
 Piis adauge gratiam,
 Reisque dele crimina.

Et super crucis trophaeo
Dic triumphum nobilem:
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.

De Parentis protoplasti
Fraude Factor condolens,
Quando pomi noxialis
In necem morsu ruit:
Ipsé lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret.

Hoc opus nostrae salutis
Ordo depoposcerat;
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde,
Hostis unde laeserat.

Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis Conditor;
Atque ventre Virginali
Carne amictus prodiit.

Vagit infans inter arcta
Conditus praesepia;
Membra pannis involuta
Virgo Mater alligat;
Et Dei manus, pedesque,
Stricta cingit fascia.

Sempiterna sit beatae
 Trinitati gloria,
 Aequa Patri, Filioque :
 Par decus Paraclito :
 Unius Trinique nomen
 Laudet universitas.

AD LAUDES.

Lustra sex qui jam peregit,
 Tempus implens corporis,
 Sponte libera Redemptor,
 Passioni deditus,
 Agnus in crucis levatur
 Immolandus stipite.

Felle potus ecce languet :
 Spina, clavi, lancea
 Mite corpus perforarunt :
 Unda manat, et cruor :
 Terra, pontus, astra, mundus,
 Quo lavantur flumine !

Crux fidelis, inter omnes
 Arbor una nobilis :
 Silva talem nulla profert
 Fronde, flore, germine :
 Dulce ferrum, dulce lignum,
 Dulce pondus sustinent.

Flecte ramos arbor alta,
 Tensa laxa viscera,

Et rigor lentescat ille,
Quem dedit nativitas,
Et superni membra Regis
Tende miti stipite.

Sola digna tu fuisti
Ferre mundi victimam :
Atque portum praeparare
Arca mundo naufrago,
Quam sacer cruor perunxit,
Fusus Agni corpore.

Sempiterna sit beatæ
Trinitati gloria,
Aequa Patri, Filioque,
Par decus Paraclito :
Unius Trinique nomen
Laudet universitas.

SABBATO IN ALBIS,

Et per Tempus Paschale.

AD VESPERAS.

Ad regias Agni dapes
Stolis amicti candidis
Post transitum maris Rubri
Christo canamus Principi :

Divina cujus charitas
Sacrum propinat sanguinem,
Almique membra corporis
Amor Sacerdos immolat.

Sparsum cruorem postibus
Vastator horret angelus :
Fugitque divisum mare :
Merguntur hostes fluctibus.

Jam Pascha nostrum Christus est,
Paschalis idem victima,
Et pura puris mentibus
Sinceritatis azyma.

O vera coeli victima,
Subjecta cui sunt tartara,
Soluta mortis vincula,
Recepta vitae praemia.

Victor subactis inferis
Trophaea Christus explicat,
Coeloque aperto, subditum
Regem tenebrarum trahit.

Ut sis perenne mentibus,
Paschale Jesu gaudium :
A morte dira criminum
Vitae renatos libera.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna saecula.

DOMINICA IN ALBIS,

Et per Tempus Paschale.

AD MATUTINUM.

Rex sempiternae coelitem,
Rerum Creator omnium,
Aequalis ante saecula
Semper Parenti Filius.

Nascente qui mundo Faber
Imaginem vultus tui
Tradens Adamo, nobilem
Limo jugasti spiritum.

Cum livor et fraus daemonis
Foedasset humanum genus :
Tu carne amictus, perditam
Formam reformas artifex.

Qui natus olim e Virgine,
Nunc e sepulchro nasceris,
Tecumque nos a mortuis
Jubes sepultos surgere.

Qui pastor aeternus gregem
Aqua lavas Baptismatis :
Haec est lavacrum mentium :
Haec est sepulchrum criminum.

Nobis diu qui debita
Redemptor affixus cruci,
Nostrae dedisti prodigus
Pretium salutis sanguinem.

Ut sis perenne mentibus
Paschale Jesu gaudium:
A morte dira criminum
Vitae renatos libera.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna saecula.

AD LAUDES.

Aurora coelum purpurat,
Aether resultat laudibus,
Mundus triumphans jubilat,
Horrens avernus infremit.

Rex ille dum fortissimus
De mortis inferno specu
Patrum Senatuum liberum
Educit ad vitae jubar.

Cujus sepulchrum plurimo
Custode signabat lapis,
Victor triumphat, et suo
Mortem sepulchro funerat.

Sat funeri, sat lacrymis,
Sat est datum doloribus :
Surrexit extincor necis,
Clamat coruscans angelus.

Ut sis perenne mentibus
Paschale Jesu gaudium ;
A morte dira criminum
Vitae renatos libera.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna saecula.

IN ASCENSIONE DOMINI.

AD VESPERAS.

Salutis humanae Sator,
Jesu voluptas cordium,
Orbis redempti Conditor,
Et casta lux amantium.

Qua victus es clementia,
Ut nostra ferres crimina ?
Mortem subires innocens,
A morte nos ut tolleres ?

Perrumpis infernum chaos,
 Vincitis catenas detrahis ;
 Victor triumpho nobili
 Ad dexteram Patris sedes.

Te cogat indulgentia,
 Ut damna nostra sarcias,
 Tuique vultus compotes
 Dites beato lumine.

Tu dux ad astra, et semita,
 Sis meta nostris cordibus,
 Sis lacrymarum gaudium,
 Sis dulce vitae praemium.

Jesu, tibi sit gloria,
 Qui victor in coelum redis,
 Cum Patre et almo Spiritu,
 In sempiterna saecula.

AD MATUTINUM.

Aeternae Rex altissime,
 Redemptor et fidelium,
 Cui mors perempta detulit
 Summae triumphum gloriae ;

Ascendis orbis siderum,
 Quo te vocabat coelitus
 Collata, non humanitus
 Rerum potestas omnium.

Ut trina rerum machina,
Coelestium, terrestrium,
Et inferorum condita,
Flectat genu jam subdita.

Tremunt videntes angeli
Versam vicem mortalium :
Peccat caro, mundat caro,
Regnat Deus Dei caro.

Sis ipse nostrum gaudium,
Manens olympto praemium ;
Mundi regis qui fabricam,
Mundana vincens gaudia.

Hinc te precantes quaesumus,
Ignosce culpis omnibus,
Et corda sursum subleva
Ad te superna gratia :

Ut cum repente coeperis
Clarere nube Judicis,
Poenas repellas debitas,
Reddas coronas perditas.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui victor in coelum redis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula.

IN FESTO PENTECOSTES.

AD VESPERAS.

Veni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti, pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus Paternae dexteræ,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus;
Ductore sic te praevio
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium;
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In saeculorum saecula.

DOMINICA PENTECOSTES.

AD MATUTINUM.

Jam Christus astra ascenderat,
Reversus unde venerat,
Patris fruendum munere
Sanctum daturus Spiritum.

Solemnis urgebat dies,
Quo mystico septemplici
Orbis volutus septies
Signat beata tempora.

Cum lucis hora tertia
Repente mundus intonat,
Apostolis orantibus
Deum venire nuntiat.

De Patris ergo lumine
Decorus ignis almus est,
Qui fida Christi pectora
Calore Verbi compleat.

Impleta gaudent viscera,
Afflata sancto Spiritu,
Vocesque diversas sonant,
Fantur Dei magnalia.

Notique cunctis Gentibus,
Graecis, Latinis, Barbaris,
Simulque demirantibus,
Linguis loquuntur omnium.

Judea tunc incredula,
Vesana torvo spiritu,
Madere musto sobrios
Christi fideles increpat.

Sed editis miraculis,
Occurrit, et docet Petrus,
Falsum profari perfidos,
Joele teste comprobans.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In saeculorum saecula.

AD LAUDES.

Beata nobis gaudia
Anni reduxit orbita,
Cum Spiritus Paraclitus
Illapsus est Apostolis.

Ignis vibrante lumine
Linguae figuram detulit,
Verbis ut essent proflui,
Et charitate fervidi.

Linguis loquuntur omnium :
Turbae pavent Gentilium :
Musto madere deputant,
Quos Spiritus repleverat.

Patrata sunt haec mystice,
Paschae peracto tempore,
Sacro dierum circulo,
Quo lege fit remissio.

Te nunc Deus piissime,
Vultu precamur cernuo,
Illapsa nobis coelitus
Largire dona Spiritus.

Dudum sacrata pectora
Tua replesti gratia :
Dimitte nostra crimina,
Et da quietia tempora.

Deo Patri sit gloria,
 Et Filio, qui a mortuis
 Surrexit, ac Paraclito,
 In saeculorum saecula.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

AD MATUTINUM.

Summe Parens clementiae,
 Mundi regis qui machinam,
 Unius et substantiae,
 Trinusque personis Deus.

Da dexteram surgentibus,
 Exurgat ut mens sobria,
 Flagrans et in laudem Dei
 Grates rependat debitas.

Deo Patri sit gloria,
 Natoque Patris Unico,
 Cum Spiritu Paraclito
 In sempiterna saecula.

AD LAUDES.

Tu Trinitatis Unitas,
 Orbem potenter quae regis,
 Attende laudis canticum,
 Quod excubantes psallimus.

Ortus refulget lucifer,
Praitque solem nuntius:
Cadunt tenebrae noctium:
Lux sancta nos illuminet.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, et per omne saeculum.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

AD VESPERAS.

Pange lingua gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremæ nocte coenæ
 Recumbens cum fratribus,
 Observata lege plene
 Cibis in legalibus,
 Cibum turbae duodenæ
 Se dat suis manibus.

Verbum caro, panem verum
 Verbo carnem efficit:
 Fitque sanguis Christi merum,
 Et si sensus deficit:
 Ad firmandum cor sincerum
 Sola fides sufficit.

Tantum ergo Sacramentum,
 Veneremur cernui:
 Et antiquum documentum
 Novo cedat ritui:
 Praestet fides supplementum
 Sensuum defectui.

Genitori, Genitoque
 Laus et jubilatio,
 Salus, honor, virtus quoque
 Sit et benedictio;
 Procedenti ab utroque
 Compar sit laudatio.

AD MATUTINUM.

Sacris solemnibus juncta sint gaudia,
 Et ex praeordiis sonent praeconia;
 Recedant vetera, nova sint omnia,
 Corda, voces, et opera.

Noctis recolitur coena novissima,
Qua Christus creditur agnum et azyma
Dedisse fratribus, juxta legitima
Priscis indulta patribus.

Post agnum typicum, expletis epulis,
Corpus Dominicum datum discipulis,
Sic totum omnibus, quod totum singulis,
Ejus fatemur manibus.

Dedit fragilibus corporis ferculum,
Dedit et tristibus sanguinis poculum,
Dicens, Accipite quod trado vasculum,
Omnes ex eo bibite.

Sic sacrificium istud instituit,
Cujus officium committi voluit
Solis presbyteris, quibus sic congruit,
Ut sumant, et dent ceteris.

Panis angelicus fit panis hominum :
Dat panis coelicus figuris terminum :
O res mirabilis, manducat Dominum
Pauper, servus, et humilis.

Te trina Deitas unaque poscimus,
Sic nos tu visita, sicut te colimus :
Per tuas semitas duc nos quo tendimus,
Ad lucem, quam inhabitas.

AD LAUDES.

Verbum supernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens,
Venit ad vitae vesperam.

In mortem a discipulo
Suis tradendus aemulis,
Prius in vitae ferculo
Se tradidit discipulis.

Quibus sub bina specie
Carnem dedit et sanguinem :
Ut duplicis substantiae
Totum cibaret hominem.

Se nascens dedit socium,
Convalescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in praemium.

O salutaris Hostia,
Quae coeli pandis ostium :
Bella premunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.

Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria :
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria.

PROPRIUM SANCTORUM.

IN FESTO

SANCTISSIMI NOMINIS JESU.

AD VESPERAS.

Jesu dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia :
Sed super mel, et omnia,
Ejus dulcis praesentia.

Nil canitur suavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius
Quam Jesus Dei Filius.

Jesu spes poenitentibus,
Quam pius es petentibus !
Quam bonus te quaerentibus !
Sed quid inventientibus ?

Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere :
Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.

Sis Jesu nostrum gaudium,
Qui es futurus praemium :
Sit nostra in te gloria,
Per cuncta semper saecula.

AD MATUTINUM.

Jesu Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.

Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet charitas.

Jesu dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.

Jesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite ;
Jesum ardenter quaerite,
Quaerendo inardescite.

Te nostra Jesu vox sonet,
Nostri te mores exprimant ;
Te corda nostra diligant,
Et nunc, et in perpetuum.

AD LAUDES.

Jesu, decus angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar coelicum.

Qui te gustant, esuriunt,
Qui bibunt, adhuc sitiunt,
Desiderare nesciunt,
Nisi Jesum, quem diligunt.

O Jesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animae!
Te quaerunt piae lacrymae,
Te clamor mentis intimae.

Mane nobiscum Domine,
Et nos illustra lumine,
Pulsa mentis caligine,
Mundum reple dulcedine.

Jesu, flos Matris Virginis,
Amor nostrae dulcedinis,
Tibi laus, honor nominis,
Regnum beatitudinis.

IN FESTO CATHEDRAE S. PETRI.

AD VESPERAS.

Quodcumque in orbe nexibus revinxis,
Erit revinctum, Petre, in arce siderum:
Et quod resolvit hic potestas tradita,
Erit solutum coeli in alto vertice:
In fine mundi judicabis saeculum.

Patri perenne sit per aevum gloria,
Tibique laudes concinamus inclytas,
Aeterne Nate: sit superne Spiritus
Honor tibi decusque: sancta jugiter
Laudetur omne Trinitas per saeculum.

IN CONVERSIONE S. PAULI
APOSTOLI.

AD VESPERAS.

Egregie Doctor Paule mores instrue,
Et nostra tecum pectora in coelum trahe:
Velata dum meridiem cernat Fides,
Et solis instar sola regnet Charitas.

Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio,
In unitate quae gubernat omnia,
Per universa aeternitatis saecula.

IN FESTO
S. JOSEPH CONFESSORIS.

IN UTRISQUE VESPERIS.

Te, Joseph, celebrent agmina coelitum,
Te cuncti resonent Christiadam chori,
Qui clarus meritis, junctus es inclytæ
Casto foedere Virgini.

Almo cum tumidam germine conjugem
Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflatu superi Flaminis Angelus
Conceptum puerum docet.

Tu natum Dominum stringis, ad exteras
Aegypti profugum tu sequeris plagas;
Amisum Solymis quaeris, et invenis,
Miscens gaudia fletibus.

Post mortem reliquos mors pia consecrat,
Palmamque emeritos gloria suscipit:
Tu vivens, superis par, frueris Deo,
Mira sorte beatior.*

* Nobis, summa Trias, parce precantibus,
Da Joseph meritis sidera scandere:
Ut tandem liceat nos tibi perpetim
Gratum promere canticum.

IN NATIVITATE S. JOANNIS
BAPTISTAE.

AD VESPERAS.

* * *

Nuntius celso veniens olympto,
Te patri magnum fore nasciturum;
Nomen, et vitae seriem gerendae
Omne promit.

Ille promissi dubius superni,
Perdidit promptae modulus loquelae:
Sed reformasti genitus peremptae
Organa vocis.

Ventris obstruso recubans cubili,
Senserat Regem thalamo manentem:
Hinc parens, nati meritis, uterque
Abdita pandit.

Sit decus Patri, genitaeque Proli,
Et tibi compar utriusque virtus
Spiritus semper, Deus unus omni
Temporis aevo

* Ut queant laxis resonare fibris
Mira gestorum famuli tuorum,
Solve polluti labii reatum,
Sancte Joannes.

AD MATUTINUM.

Antra deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens, petisti,
Ne levi posses maculare vitam
 Crimine linguae.

Praebuit durum tegumen camelus
Artubus sacris, strophium bidentes ;
Cui latex haustum, sociata pastum
 Mella locustis.

Ceteri tantum cecinere Vatum
Corde praesago jubar affuturum ;
Tu quidem mundi scelus auferentem
 Indice prodis.

Non fuit vasti spatium per orbis
Sanctior quisquam genitus Joanne,
Qui nefas saeculi meruit lavantem
 Tingere lymphis.

Sit decus Patri, genitaeque Proli,
Et tibi compar utriusque virtus
Spiritus semper, Deus unus omni
 Temporis aevo.

AD LAUDES.

O nimis felix, meritique celsi,
Nesciens labem nivei pudoris,
Praepotens martyr, nemorumque cultor,
 Maxime vatium.

Serta ter denis alios coronant
 Aucta clementis, duplicata quosdam;
 Trina te fructu cumulata centum
 Nexibus ornant.*

Laudibus cives celebrent superni,
 Te Deus simplex, pariterque trine,
 Supplices et nos veniam precamur:
 Parce redemptis.

IN FESTO SS. APOSTOLORUM
 PETRI ET PAULI.

AD VESPERAS.

Decora lux Aeternitatis, auream
 Diem beatis irrigavit ignibus,
 Apostolorum quae coronat principes,
 Reisque in astra liberam pandit viam.

Mundi magister, atque coeli janitor,
 Romae parentes, arbitrique gentium,
 Per ensis ille, hic per crucis victor necem
 Vitae senatum laureati possident.

* Nunc potens nostri meritis opimis
 Pectoris duros lapides revelle,
 Asperum planans iter, et reflexos
 Dirige calles.

Ut pius mundi Sator et Redemptor,
 Mentibus culpae sine labe puris,
 Rite dignetur veniens beatos
 Ponere gressus.

O Roma felix, quae duorum principum
Es consecrata glorioso sanguine:
Horum cruore purpurata ceteras
Excellis orbis una pulchritudines.

Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio,
In unitate quae gubernat omnia,
Per universa saeculorum saecula.

IN FESTO
S. MARIAE MAGDALENAE.

AD VESPERAS.

Pater superni luminis,
Cum Magdalenam respicis,
Flammas amoris excitas,
Geluque solvis pectoris.

Amore currit saucia,
Pedes beatos ungere,
Lavare fletu, tergere
Comis, et ore lambere.

Adstare non timet cruci,
Sepulchro inhaeret anxia:
Truces nec horret milites:
Pellit timorem charitas.

O vera, Christe, charitas,
 Tu nostra purga crimina,
 Tu corda reple gratia,
 Tu redde coeli praemia.

Patri, simulque Filio,
 Tibique sancte Spiritus,
 Sicut fuit, sit jugiter
 Saeculum per omne gloria.

AD MATUTINUM.

Maria castis osculis
 Lambit Dei vestigia :
 Fletu rigat, tergit comis,
 Detersa nardo perlinit.

Deo Patri sit gloria,
 Ejusque soli Filio,
 Cum Spiritu Paraclito
 Nunc, et per omne saeculum.

 IN FESTO

S. PETRI AD VINCULA.

AD VESPERAS.

Miris modis repente liber, ferrea
 Christo jubente vincla Petrus exuit :
 Ovilis ille pastor, et rector gregis,
 Vitae recludit pascua, et fontes sacros,
 Ovesque servat creditas, arcet lupos.

Patri perenne sit per aevum gloria,
Tibique laudes concinamus inclytas,
Aeterne Nate; sit superne Spiritus
Honor tibi decusque: sancta jugiter
Laudetur omne Trinitas per saeculum.

IN FESTO
TRANSFIGURATIONIS DOMINI.

AD VESPERAS.

Quicumque Christum quaeritis,
Oculos in altum tollite:
Illic licebit visere
Signum perennis gloriae.

Illustre quiddam cernimus,
Quod nesciat finem pati,
Sublime, celsum, interminum,
Antiquius coelo et chao.

Hic ille Rex est Gentium,
Populique Rex Judaici,
Promissus Abrahae Patri,
Ejusque in aevum semini.

Hunc et Prophetis testibus,
Iisdemque signatoribus,
Testatur et Pater jubet
Audire nos et credere.

Jesu tibi sit gloria,
Qui te revelas parvulis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula.

AD LAUDES.

Lux alma Jesu mentium
Dum corda nostra recreas,
Culpaefugas caliginem,
Et nos replet dulcedine.

Quam laetus est quem visitas!
Consors Paternae dexteræ,
Tu dulce lumen patriæ,
Carnis negatum sensibus.

Splendor Paternæ gloriæ,
Incomprehensa charitas,
Nobis amoris copiam
Largire per præsentiam.

Jesu tibi sit gloria,
Qui te revelas parvulis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula.

IN
DEDICATIONE S. MICHAELIS
ARCHANGELI.

AD VESPERAS.

Te splendor et virtus Patris,
Te vita, Jesu, cordium,
Ab ore qui pendent tuo,
Laudamus inter angelos.

Tibi mille densa millium
Ducum corona militat:
Sed explicat Victor crucem
Michael salutis signifer.

Draconis hic dirum caput
In ima pellit tartara,
Ducemque cum rebellibus
Coelesti ab arce fulminat.

Contra ducem superbiae
Sequamur hunc nos principem,
Ut detur ex Agni throno
Nobis corona gloriae.

Patri, simulque Filio,
Tibique sancte Spiritus;
Sicut fuit, sit jugiter
Saeclum per omne gloria.

AD LAUDES.

Christe, sanctorum decus angelorum,
Gentis humanae Sator et Redemptor,
Coelitum nobis tribuas beatas
Scandere sedes.

Angelus pacis Michaël in aedes
Coelitus nostras veniat : serenae
Auctor ut pacis lacrymosa in orcum
Bella releget.

Angelus fortis Gabriel, ut hostes
Pellat antiquos, et amica coelo,
Quae triumphator statuit per orbem,
Templa revisat.

Angelus nostrae medicus salutis
Adsit e coelo Raphaël, ut omnes
Sanet aegrotos, dubiosque vitae
Dirigat actus.

Virgo dux pacis, genitrixque lucis,
Et sacer nobis chorus angelorum
Semper assistat, simul et micantis
Regia coeli.

Praestet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque sancti
Spiritus, cujus resonat per omnem
Gloria mundum.

COMMUNE SANCTORUM.

COMMUNE APOSTOLORUM ET EVANGELISTARUM.

AD MATUTINUM.

Aeterna Christi munera,
Apostolorum gloriam,
Palmas, et hymnos debitos
Laetis canamus mentibus.

Ecclesiarum principes,
Belli triumphales duces,
Coelestis aulae milites,
Et vera mundi lumina.

Devota Sanctorum Fides,
Invicta Spes credentium,
Perfecta Christi Charitas
Mundi tyrannum conterit.

In his Paterna gloria,
In his triumphat Filius,
In his voluntas Spiritus,
Coelum repletur gaudio.

Patri, simulque Filio,
 Tibique sancte Spiritus,
 Sicut fuit, sit jugiter
 Saeculum per omne gloria.

Tempore Paschali.

AD VESPERAS.

Tristes erant apostoli
 De Christi acerbo funere,
 Quem morte crudelissima
 Servi necarant impii.

Sermone verax angelus
 Mulieribus praedixerat:
 Mox ore Christus gaudium
 Gregi feret fidelium.

Ad anxios apostolos
 Currunt statim dum nuntiae,
 Illae micantis obvia
 Christi tenent vestigia.

Galilaeae ad alta montium
 Se conferunt apostoli;
 Jesuque, voti compotes,
 Almo beantur lumine.

Ut sis perenne mentibus
Paschale Jesu gaudium ;
A morte dira criminum
Vitae renatos libera.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna saecula.

AD LAUDES, ET PER HORAS.

Paschale mundo gaudium
Sol nuntiat formosior,
Cum luce fulgentem nova
Jesum vident apostoli.

In carne Christi vulnera
Micare tanquam sidera
Mirantur, et quidquid vident
Testes fideles praedicant.

Rex Christe clementissime,
Tu corda nostra posside ;
Ut lingua grates debitas
Tuo rependat nomini.

Ut sis perenne mentibus
Paschale Jesu gaudium :
A morte dira criminum
Vitae renatos libera.

Deo Patri sit gloria,
 Et Filio, qui a mortuis
 Surrexit, ac Paraclito,
 In sempiterna saecula.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

Extra tempus Paschale.

AD VESPERAS.

Deus, tuorum militum
 Sors, et corona, praemium ;
 Laudes canentes Martyris
 Absolve nexu criminis.

Hic nempe mundi gaudia,
 Et blanda fraudum pabula,
 Imbuta felle deputans
 Pervenit ad coelestia.

Poenas cucurrit fortiter,
 Et sustulit viriliter,
 Fundensque pro te sanguinem,
 Aeterna dona possidet.

Ob hoc precatu supplici
 Te poscimus piissime ;
 In hoc triumpho Martyris
 Dimitte noxam servulis.

Laus et perennis gloria
Patri sit atque Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sempiterna saecula.

COMMUNE MARTYRUM.

Tempore Paschali.

AD VESPERAS.

Pro pluribus Martyribus.

Rex gloriose martyrum,
Corona confitentium,
Qui respuentes terrea
Perducis ad coelestia:

Aurem benignam protinus
Intende nostris vocibus:
Trophæa sacra pangimus,
Ignosce quod deliquimus.

Tu vincis inter martyres,
Parcisque confessoribus:
Tu vince nostra crimina
Largitor indulgentiae.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterno saecula.

AD MATUTINUM.

Christo profusum sanguinem,
Et martyrum victorias,
Dignamque coelo lauream
Laetis sequamur vocibus.

Terrore victo saeculi,
Poenisque spretis corporis,
Mortis sacrae compendio
Vitam beatam possident.

Traduntur igni martyres,
Et bestiarum dentibus:
Armata saevit unguis
Tortoris insani manus.

Nudata pendent viscera,
Sanguis sacratus funditur:
Sed permanent immobiles
Vitae perennis gratia.

Te nunc Redemptor quaesumus,
Ut martyrum consortio
Jungas precantes servulos
In sempiterna saecula.

COMMUNE
PLURIMORUM MARTYRUM.

Extra Tempus Paschale.

AD VESPERAS.

Sanctorum meritis inclyta gaudia
Pangamus socii, gestaue fortia :
Gliscens fert animus promere cantibus
Victorum genus optimum.

Hi sunt quos fatue mundus abhorruit ;
Hunc fructu vacuum, floribus aridum
Contempsere tui nominis asseclae,
Jesu rex bone coelitem.

Hi pro te furias atque minas truces
Calcarunt hominum, saevaue verbera ;
His cessit lacerans fortiter ungula,
Nec carpsit penetralia.

Caeduntur gladiis more bidentium :
Non murmur resonat, non querimonia :
Sed corde impavido mens bene conscia
Conservat patientiam.

Quae vox, quae poterit lingua retexere,
 Quae tu martyribus munera praeparas?
 Rubri nam fluido sanguine fulgidis
 Cingunt tempora laureis.

Te summa o Deitas, unaque poscimus,
 Ut culpas abigas, noxia subtrahas,
 Des pacem famulis, ut tibi gloriam
 Annorum in seriem canant.

COMMUNE CONFESSORUM.

AD VESPERAS.

Iste Confessor Domini, colentes
 Quem pie laudant populi per orbem,
 Hac die laetus meruit beatas
 Scandere sedes.

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
 Sobriam duxit sine labe vitam,
 Donec humanos animavit aerae
 Spiritus artus.

Cujus ob praestans meritum frequenter
 Aegra quae pa sim jacuere membra,
 Viribus morbi domitis, saluti
 Restituuntur.

Noster hinc illi chorus obsequentem
Concinit laudem, celebresque palmas ;
Ut piis ejus precibus juvemur
Omne per aevum.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super coeli solio coruscans,
Totius mundi seriem gubernat
Trinus, et unus.

Confessoris Pontificis.

AD LAUDES.

Jesu Redemptor omnium,
Perpes corona praesulum,
In hac die clementius
Indulgeas precantibus :

Tui sacri qua nominis
Confessor almus claruit ;
Hujus celebrat annua
Devota plebs solemnia.

Qui rite mundi gaudia
Hujus caduca respuens,
Aeternitatis praemio
Potitur inter angelos.

Hujus benignus annue
Nobis sequi vestigia :
Hujus precatu servulis
Dimitte noxam criminis.

Sit, Christe Rex piissime,
 Tibi, Patrique gloria,
 Cum Spiritu Paraclito,
 Nunc, et per omne saeculum.

Confessoris non Pontificis.

AD LAUDES.

Jesu corona celsior,
 Et veritas sublimior,
 Qui confitenti servulo
 Reddis perenne praemium :

Da supplicanti coetui,
 Hujus rogatu, noxii
 Remissionem criminis,
 Rumpendo nexum vinculi.

Anni reverso tempore
 Dies refulsit lumine,
 Quo sanctus hic de corpore,
 Migravit inter sidera.

Hic vana terrae gaudia,
 Et luculenta praedia,
 Polluta sorde deputans,
 Ovans tenet coelestia.

Te christe Rex piissime
 Hic confitendo jugiter,
 Calcavit artes daemonum,
 Saevumque averni principem.

Virtute clarus et fide,
Confessione sedulus,
Jejuna membra deferens
Dapes supernas obtinet.

Proinde te piissime
Precamur omnes supplices,
Nobis ut hujus gratia
Poenas remittas debitas.

Patri perennis gloria,
Natoque Patris unico,
Sanctoque sit Paraclito,
Per omne semper saeculum.

COMMUNE VIRGINUM.

AD VESPERAS ET AD LAUDES.

Jesu, corona Virginum,
Quem mater illa concipit,
Quae sola Virgo parturit,
Haec vota clemens accipe.

Qui pergis inter lilia,
Septus choreis Virginum,
Sponsus decorus gloria,
Sponsisque reddens praemia.

Quocumque tendis, Virgines
Sequuntur, atque laudibus
Post te canentes cursitant,
Hymnosque dulces personant.

Te deprecamur supplices,
 Nostris ut addas sensibus,
 Nescire prorsus omnia
 Corruptionis vulnera.

Virtus, honor, laus, gloria,
 Deo Patri, cum Filio,
 Sancto simul Paraclito,
 In saeculorum saecula.

COMMUNE

SANCTAE MARTYRIS TANTUM,

ET

Nec Virginitis nec Martyris.

AD VESPERAS.

Fortem virili pectore
 Laudemus omnes feminam,
 Quae sanctitatis gloria
 Ubique fulget inclyta.

Haec sancto amore saucia,
 Dum mundi amorem noxium
 Horrescit, ad coelestia
 Iter peregit arduum.

Carnem domans jejuniis,
Dulcique mentem pabulo
Orationis nutriens,
Coeli potitur gaudiis.

Rex Christe virtus fortium,
Qui magna solus efficis,
Hujus precatu quaesumus,
Audi benignos supplices.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, et per omne saeculum.

COMMUNE
DEDICATIONIS ECCLESIAE.

AD VESPERAS.

Coelestis urbs Jerusalem,
Beata pacis visio,
Quae celsa de viventibus
Saxis ad astra tolleris.
Sponsaeque ritu cingeris
Mille angelorum millibus.

O sorte nupta prospera,
Dotata Patris gloria,
Respersa sponsi gratia,
Regina formosissima,
Christo jugata principi,
Coeli corusca civitas.

Hic margaritis emicant,
Patentque cunctis ostia :
Virtute namque praevia
Mortalis illuc ducitur,
Amore Christi percitus
Tormenta quisquis sustinet.

Scalpri salubris ictibus,
Et tunsione plurima ;
Fabri polita malleo
Hanc saxa molem construunt,
Aptisque juncta nexibus
Locantur in fastigio.

Decus Parenti debitum
Sit usquequaque Altissimo,
Natoque Patris unico,
Et inclyto Paraclito,
Cui laus, potestas, gloria
Aeterna sit per saecula.

AD LAUDES.

Alto ex Olympi vertice
Summi Parentis Filius,
Ceu monte desectus lapis
Terras in imas decidens,
Domus supernae, et infimae,
Utrumque junxit angulum.

Sed illa sedes Coelitum
Semper resultat laudibus,
Deumque Trinum et Unicum
Jugi canore praedicat:
Illi canentes jungimur
Almae Sionis aemuli.

Haec templa, Rex coelestium,
Imple benigno lumine;
Huc o rogatus adveni,
Plebisque vota suscipe,
Et nostra corda jugiter
Perfunde coeli gratia.

Hic impetrent fidelium
 Voces precesque supplicum,
 Domus beatæ munera,
 Partisque donis gaudeant ;
 Donec soluti corpore
 Sedes beatas impleant.

Decus Parenti debitum
 Sit usquequaque Altissimo,
 Natoque Patris unico,
 Et inclyto Paraclito,
 Cui laus, potestas, gloria
 Aeterna sit per saecula.

IN OFFICIO BEATAE MARIAE.

AD MATUTINUM.

Quem terra, pontus, sidera
 Colunt, adorant, praedicant,
 Trinam regentem machinam,
 Clastrum Mariae bajulat.

Cui luna, sol, et omnia
 Deserviunt per tempora ;
 Perfusa coeli gratia,
 Gestant puellae viscera.

Beata Mater munere,
 Cujus, supernus Artifex
 Mundum pugillo continens,
 Ventris sub arca clausus est

Beata coeli nuntio,
Fecunda sancto Spiritu,
Desideratus gentibus
Cujus per alvum fusus est.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula.

AD LAUDES.

O gloriosa Virginum,
Sublimis inter sidera;
Qui te creavit, parvulum
Lactente nutris ubere.

Quod Heva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent ut astra febiles,
Coeli recludis cardines.

Tu regis alti janua,
Et aula lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptae plaudite.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula.

• EX OFFICIIS PROPRIIS
SANCTORUM ORDINIS MINORUM.

IN FESTO

S. GABRIELIS ARCHANGELI.

AD MATUTINUM.

En noctis medium ; surgite propere,
Cantemus Domino jam nova cantica ;
Hac hora Gabriel nam fuit omnibus
Vitae nuntius optimus.

Hac hora Dominum virginis alveus
Humano generi protulit, insuper
Devictis pariter funditus hostibus
Victor surgit ab inferis.

Surgentes igitur mitibus invicem
Oremus precibus coelica numina :
Praesertim Dominum, qui dedit angelum
Curam qui gerit omnium.

Quae virtus hominis promere sufficit,
Quae mundo Gabriel munera conferat ?
Sanctas hic animas visere Dominum
Praesto ducit in aethera.

HYMNI

E BREVIARIO SARISBURIENSI.



HYMNI.

DE NATIVITATE DOMINI.

AD VESPERAS.

Veni Redemptor gentium,
Ostende partum Virginis,
Miretur omne saeculum,
Talis decet partus Deum.

Non ex virili semine
Sed mystico spiramine
Verbum Dei factum est caro,
Fructusque ventris floruit.

Alvus tumescit Virginis,
Claustra pudoris permanent,
Vexilla virtutum micant,
Versatur in templo Deus.

Procedens e thalamo suo,
Pudoris aula regia,
Geminae gigas substantiae
Alacris ut currat viam.

Egressus ejus a Patre,
 Regressus ejus ad Patrem,
 Excursus usque ad inferos,
 Recursus ad sedem Dei.

Aequalis aeterno Patri,
 Carnis stropheo accingere,
 Infirma nostri corporis
 Virtute firmans perpetim.

Praesepe jam fulget tuum,
 Lumenque nox spirat novum,
 Quod nulla nox interpolet,
 Fideque jugi luceat.

Deo Patri sit gloria,
 Ejusque soli Filio,
 Cum Spiritu Paraclito,
 Et nunc, et imperpetuum.

IN DIE EPIPHANIAE DOMINI.

AD LAUDES.

A patre Unigenitus
 Ad nos venit per Virginem,
 Baptisma cruce consecrans
 Cunctos fideles generans.

De coelo celsus prodiit,
Acceptit formam hominis,
Facturam morte redimens,
Gaudia vitae largiens.

Hoc te Redemptor quaesumus
Illabere propitius,
Clarusque nostris sensibus
Lumen praebe fidelibus.

Mane nobiscum Domine,
Noctem obscuram remove,
Omne delictum ablue,
Piam medelam tribue.

Quem jam venisse novimus,
Redire item credimus,
Tu sceptrum tuum inclytum
Tuo defende clypeo.

Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et sancto Spiritu,
In sempiterna saecula.

IN DOMINICA
PRIMA QUADRAGESIMAE.

AD COMPLETORIUM.

Christe qui lux es et dies,
Noctis tenebras detegis,
Lucisque lumen crederis
Lumen beatum praedicans.

Precamur, sancte Domine,
Defende nos in hac nocte,
Sit nobis in te requies,
Quietem nocte tribue.

Ne gravis somnus irruat,
Nec hostis nos surripiat,
Nec caro illi consentiens
Nos tibi reos statuatur.

Oculi somnum capiant,
Cor ad te semper vigilet;
Dextera tua protegat
Famulos qui te diligunt.

Defensor noster aspice,
Insidiantes reprime;
Guberna tuos famulos,
Quos sanguine mercatus es.

Memento nostri Domine,
In gravi isto corpore,
Qui es defensor animae,
Adesto nobis Domine.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc, et imperpetuum.

IN DOMINICA TERTIA
QUADRAGESIMAE.

AD VESPERAS.

Ecce tempus idoneum,
Medicina peccaminum,
Quibus Deum offendimus,
Corde, verbis, operibus.

Qui pius ac propitius
Nobis pepercit hactenus,
Ne nos cum nostris perderet
Tantis iniquitatibus.

Hunc igitur jejuniis,
Cum precibus et lacrymis,
Multisque bonis aliis,
Placemus devotissimi.

Ut nos a cunctis sordibus
Purgans ornet virtutibus,
Angelicis et coetibus
Conjungat in coelestibus.

Sit benedictus genitor,
Ejusque Unigenitus,
Cum Spiritu Paraclito,
Trinus et unus Dominus.

AD NOCTURNUM.

Clarum decus jejunii
Monstratur orbi coelitus,
Quo Christus auctor omnium
Cibis dicavit abstinens.

Hoc Moyses carus Deo
Legisque lator factus est,
Hoc Heliam per aera
Curru levavit igneo.

Hinc Daniel mysteria
Victor leonum viderat,
Per hoc amicus intimus
Sponsi Johannes claruit.

Haec nos sequi dona Deus
Exempla parsimoniae;
Tu robur auge mentium,
Dans spiritale gaudium.

Praesta Pater per Filium,
Praesta per alium Spiritum,
Cum his per aevum triplici
Unus Deus cognomine.

AD LAUDES.

Jesu quadragenariae
Dicator abstinentiae,
Qui ob salutem mentium
Hoc sanxeras jejunium,

Quo paradiso redderes
Servata parsimonia,
Quos inde gastrimargia
Illecebrosa depulit.

Adesto nunc Ecclesiae,
Adesto poenitentiae,
Quae pro suis excessibus
Orat profusis fletibus.

Tu retro acta crimina
Tua remitte gratia,
Et a futuris adhibe
Custodiam mitissime.

Ut expiati animis
Jejuniorum victimis,
Tendamus ad Paschalia
Digne colenda gaudia.

Praesta Pater per Filium,
Praesta per alium Spiritum,
Cum his per aevum triplici
Unus Deus cognomine.

IN PASSIONE DOMINI.

AD COMPLETORIUM.

Cultor Dei memento
Te fontis et lavacri
Rorem subisse sanctum,
Te chrismate innovatum.

Fac, cum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem locumque cordis
Crucis figura signet.

Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebrae;
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.

Procul o procul vagantum
Portenta somniorum,
Procul esto pervicaci
Praestigiator astu.

O tortuose serpens,
Qui mille per maeandros
Fraudesque flexuosas
Agitas quietia corda,

Discede; Christus hic est,
Christus hic est, liquesce;
Signum, quod ipse nosti,
Damnat tuam catervam.

Corpus licet fatiscens
Jaceat reclive paululum,
Christum tamen sub ipso
Meditabitur sopore.

Gloria aeterno Patri
Et Christo vero regi,
Paraclytoque sancto,
Et nunc et imperpetuum.

DOMINICA IN ALBIS.

AD VESPERAS.

Chorus novae Hierusalem
Novum meli dulcedinem
Promat, colens cum sobriis
Paschale festum gaudiis.

Quo Christus invictus leo
Dracone surgens obruto,
Dum voce viva personat
A morte functos excitat.

Quam devorarat impius
Praedam refudit tartarus,
Captivitate libera
Jesum sequuntur agmina.

Triumphat ille splendide,
Et dignus amplitudine,
Soli polique patriam
Unam facit rempublicam.

Ipsam canendo supplices
Regem precemur milites,
Ut in suo clarissimo
Nos ordinet palatio.

Per saecula mente nescia
Patri supremo gloria
Honorque sit cum Filio
Et Spiritu Paraclito.

AD NOCTURNUM.

Aurora lucis rutilat,
Coelum laudibus intonat,
Mundus exultans jubilat,
Gemens infernus ululat.

Cum Rex ille fortissimus,
Mortis confractis viribus,
Pede conculcans tartara
Solvit a poena miseros.

Ille, qui clausus lapide,
Custoditur sub milite,
Triumphans pompa nobili
Victor surgit de funere.

Solutis jam gemitibus
Et inferni doloribus,
Quia surrexit Dominus
Resplendens clamat angelus.

Tristes erant apostoli
De nece sui Domini,
Quem poena mortis crudeli
Servi damnarunt impii.

Quaesumus auctor omnium,
In hoc Paschali gaudio,
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum Patre et sancto Spiritu,
Nunc, et per omne saeculum.

IN TEMPORE PASCHALI.

AD COMPLETORIUM.

Jesu salvator saeculi,
Verbum Patris altissimi,
Lux lucis invisibilis,
Custos tuorum pervigil,

Tu fabricator omnium,
Discretor atque temporum,
Fessa labore corpora
Noctis quiete recrea.

Ut dum gravi in corpore,
Brevi manemus tempore,
Sic caro nostradormiat
Ut mens in coelo vigilet.

Te deprecamur supplices,
Ut nos ab hoste liberares,
Ne valeat seducere
Tuo redemptos sanguine.

Quaesumus auctor omnium,
In hoc Paschali tempore,
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

Gloria tibi, Domine,
Qui surrexisti a mortuis,
Cum Patre et sancto Spiritu,
In sempiterna saecula.

IN VIGILIA ASCENSIONIS.

AD COMPLETORIUM.

Jesu nostra redemptio,
Amor et desiderium.
Deus Creator omnium,
Homo in fine temporum.

Quae te vicit clementia
Ut ferres nostra crimina,
Crudelem mortem patiens
Ut nos a morte tolleres,

Inferni claustra penetrans,
Tuos captivos redimens,
Victor triumpho nobili
Ad dextram Patris residens.

Ipsa te cogat pietas
Ut mala nostra superes,
Parcendo et voti compotes
Nos tuo vultu facies.

Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurus praemium;
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper saecula.

Gloria tibi Domine,
Qui scandis supra sidera,
Cum Patre et sancto Spiritu,
In sempiterna saecula.

IN DIE PENTECOSTES,

Et tribus diebus sequentibus.

AD COMPLETORIUM.

Alma chorus Domini nunc pangat nomina summi,
Messias, Soter, Emmanuel, Sabaoth Adonai,
Est, Unigenitus, Via, Vita, Manus, Homoousion,
Principium, Primogenitus, Sapientia, Virtus,
Alpha, Caput, Finisque simul vocitatur et est Oo,
Fons et Origo boni, Paraclitus, et Mediator,

Agnus, Ovis, Vitulus, Serpens, Aries, Leo, Vermis,
 Os, Verbum, Splendor, Sol, Gloria, Lux, et Imago,
 Panis, Flos, Vitis, Mons, Janua, Petra, Lapisque,
 Angelus, et Sponsus, Pastorque, Propheta, Sacerdos,
 Athanatos, Kyrios, theon panton Craton, et Iesus,
 Salvificet nos : sit tui saecla per omnia doxa.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

AD LAUDES.

O Pater sancte mitis atque pie,
 O Jesu Christe Fili venerande,
 Paracliteque Spiritus O alme,
 Deus aeterne,

Trinitas sancta Unitasque firma,
 Deitas vera, Bonitas immensa,
 Lux angelorum, salus orphanorum,
 Spesque cunctorum,

Serviunt tibi cuncta quae creasti,
 Te tuae cunctae laudant creaturae,
 Nos quoque tibi psallimus devote,
 Tu nos exaudi.

Gloria tibi omnipotens Deus,
 Trinus et unus, magnus et excelsus,
 Te decet hymnus, honor, laus et decus,
 Nunc, et in aevum.

COMMUNE UNIUS APOSTOLI.

VEL PLURIMORUM.

AD VESPERAS.

Anue Christe saeculorum Domine,
Nobis per hujus tibi cari merita,
Ut qui te coram graviter deliquimus
Hujus solvamus gloriosis precibus.

Salva Redemptor plasma tuum nobile,
Signatum sancto vultus tui lumine;
Nec lacerari sinas fraude daemonum
Propter quos mortis exsolvisti pretium.

Noli captivos esse tuos servulos,
Absolve reos, compeditos erige,
Et quos cruore redemisti proprio
Rex bone tecum fac gaudere perpetim.

Sit tibi Jesu, benedicte Domine,
Gloria, virtus, honor, et imperium,
Una cum Patre, sanctoque Paraclito,
Cum quibus regnas Deus ante saecula.

IN DEDICATIONE ECCLESIAE.

AD LAUDES.

Angulare fundamentum
Lapis Christus missus est,
Qui compage parietis
In utroque nectitur,
Quem Sion sancta suscepit,
In quo credens permanet.

Omnis illa Deo grata
Et dilecta civitas
Plena modulis in laude
Et canore jubilo,
Trinum Deum Unicumque
Cum favore praedicat.

Hoc in templo, summe Deus,
Exoratus adveni,
Et clementi bonitate
Precum vota suscipe;
Largam benedictionem
Hic infunde jugiter.

Hic promereantur omnes
Petita acquirere,
Et adepta possidere,
Cum sanctis perenniter
Paradisum introire
Translati in requiem.

Gloria et honor Deo
Usquequo altissimo,
Una Patri Filioque
Inclyto Paraclito,
Cui laus est et potestas
Per aeterna saecula.

IN FESTIS DUPLICIBUS.

AD COMPLETORIUM.

Salvator mundi, Domine,
Qui nos salvasti hodie,
In hac nocte nos protege,
Et salva omni tempore.

Adesto nunc propitius
Et parce supplicantibus,
Tu dele nostra crimina,
Tu tenebras illumina.

Ne mentem somnus opprimat,
Nec hostis nos surripiat,
Nec ullis caro petimus
Commaculetur sordibus.

Te reformator sensuum
Votis precamur cordium,
Ut puri castis mentibus
Surgamus a cubilibus.

Deo Patri sit gloria,
 Ejusque soli Filio,
 Cum Spiritu Paraclito,
 Et nunc, et imperpetuum.

DE SANCTO VINCENTIO.

AD LAUDES.

Christi miles gloriosus
 Levita Vincentius
 Ut tribunal sponte rogam
 Consendit intrepidus,
 Cujus salis crepitantis
 Per corpus minuciae

Sparsim ibant atque prunae
 Vernabantur sanguine.
 Inter haec manet immotus
 Ille Dei famulus,
 Orans Christum in sublime
 Erectis luminibus.

Gloria et honor Deo
 Usquequo altissimo,
 Una Patri Filioque
 Inclyto Paraclito,
 Cui laus est et potesta
 Per aeterna saecula.

IN VISITATIONE BEATAE
MARIAE.

AD VESPERAS.

Festum Matris gloriosae
Plebs sancta concelebret,
Pietatis viscerosae
Gratiam expostulet
Qua cognata copiose
Sensit hic Elisabeth.

Fœcundatae senectutis
Sterilem aggreditur
Quae divinae jam virtutis
Mater clam efficitur,
Gratulatur cum salutis
Consortem alloquitur.

Mox non loquens exultavit
Ad Verbi praesentiam,
Sed Elisabeth expavit
Matris excellentiam,
Benedictaque clamavit
Fructus affluentiam.

Unde mihi quisquam putet
Hoc, ait, praesagium,
Ut devote me salutet
Mater Regis omnium;
Ventris mei fructum mutet
In novum tripudium?

Virgo dum sic commendatur,
Canticum laetitiae
Psallens pure gloriatur
In amore gratiae,
Quo beata praedicatur
In omni progenie.

Trine Deus, summe pie,
Regnans aeternaliter,
Prece Virginis Mariae
Nos conserva jugiter,
Ut post finem hujus viae
Vivamus perenniter.

AD NOCTURNUM.

Mundi salus affutura,
Virgo Mater inclyta,
Gestu simplex, mente pura,
Specie praeulgida,
Cum coelesti genitura
Processit in publica.

Caput conterens draconis,
Rubus qui non uritur,
Aaron virga, Gedeonis
Vellus quod perfunditur,
Haec perfecta Salomonis
Quae beata dicitur.

Genitrix Emmanuelis
Virga Jesse floruit,
Ostium Ezechielis
Quod viro non patuit,
Monsque lapis Danielis
Statuam comminuit.

Sic in mundo praeter morem
Notum fecit Dominus,
Castis Mater conditorem
Circumdat visceribus,
Terra gignit salvatorem
Nubibus pluentibus.

Virgo cara charitatis
Fervens desiderio
Castae consanguinitatis
Favet ministerio,
Gaudens hujus novitatis
Sancto puerperio.

Felix domus Zachariae
Talem habens hospitem,
Felix cognata Mariae
Quam suscepit comitem,
Sed Johannis et Messiae
Tu distingue limitem.

Laus sit summo genitori,
Qui regnat per omnia,
Laus sit nostro Redemptori,
Per quem venit gratia,
Procedenti Creatori
Sit aequalis gloria.

DE S. MARIA MAGDALENA.

AD VESPERAS.

Collaudemus Magdalenae
Lacrymas et gaudium,
Sonent voces laude plenae
De concentu cordium,
Ut concordet philomelae
Turturis suspirium.

Jesum quaerens convivarum
Turbas non erubuit,
Pedes unxit, lacrymarum
Fluvio quos abluit,
Crine tersit, et culparum
Veniam promeruit.

Suum lavit mundatorem,
Rivo fons immaduit,
Pium fudit flos liquorem,
In ipsum reffloruit,
Coelum terrae dedit rorem,
Terra coelum compluit.

In praedulci mixtione
Nardum ferens pisticum,
In unguenti fusione
Typum gessit mysticum,
Ut sanetur unctione
Unxit aegra medicum.

Pie Christus hanc respexit
Speciali gratia,
Quia multum hunc dilexit
Dimittuntur vitia,
Christi quando resurrexit
Facta est prænuntia.

Gloria et honor Deo
Qui Paschalis hostia,
Agnus morte, pugna leo,
Victor die tertia
Resurrexit cum trophaeo
Mortis ferens spolia.

AD NOCTURNUM.

Aestimavit ortolanum,
Et hoc sane credidit,
Seminavit enim granum
Quod in mentem cecidit,
Linguam novit et non manum,
Linguam Christus indidit.

Non agnovit figurali
Latentem imagine,
Mentis agrum spiritali
Excolentem semine,
Sed cum eam speciali
Designavit nomine.

Haec a Jesu Jesum quaerit
Sublatum conqueritur,
Jesum intus mentem gerit,
Jesus praesens quaeritur,
Mentem colit, mentem serit
Jesus, nec percipitur.

Jesu bone, Jesu pie,
Quid te monstrans latitas?
Quid occultas te Mariae,
Mentem cujus habitas?
Intus plena vero die
Nescit nisi veritas.

O quam mire Jesu ludis
His quibus diligeris!
Sed cum ludis non illudis,
Nec fallis nec falleris,
Sed excludis quos includis
Notus non agnosceris.

Gloria et honor tibi,
Spes, vita, lux animae,
Per quem sperant se proscribi
Libro mortis pessimae,[†]
Praestent sibi nos ascribi
Peccatricis lacrymae.

AD LAUDES.

O Maria noli flere,
Jam non quaeras alium,
Ortolanus hic est vere
Et colonus mentium,
Intra mentis ortum quaere
Mentis operarium ;

Unde planctus et lamentum ?
Quid mentem non erigis ?
Quid revolvis monumentum ?
Tecum est quem diligis ;
Jesum quaeris, et inventum
Habes, nec intelligis.

Unde gemis ? unde ploras ?
Verum habes gaudium,
In te latet quod ignoras
Doloris solatium,
Intus habes, quaeris foras
Languoris remedium.

Jam non miror si nescisti
Magistrum dum seminat,
Semen, quod est verbum Christi
Te magis illuminat,
Et Rabboni respondisti
Cum Mariam nominat.*

Gloria et honor Deo,
Cujus profert gratia
Invitanti Pharisaeo
Mariae suspiria,
Coenam vitae qui dat reo
Gratiae post prandia.

* Pedes Christi quos lavisti
Fonte lota gratiae,
Quem ab ipso recepisti
Funde rorem veniae,
Resurgentis quem vidisti
Fac consortes gloriae.

IN TRANSMFIGURATIONE
DOMINI.

Coelestis formam gloriae,
Quam spes quaerit Ecclesiae,
In monte Christus indicat,
Quo supra solem emicat.

Res memoranda saeculis ;
Hic cum tribus discipulis
Cum Moyse et Helia
Grata promit eloquia.

Assistunt testes gratiae
Legis atque prophetiae,
De nube testimonium
Sonat Patris ad Filium.

Glorificata facie
Christus claret hodie,
Queis sit honor credentium
Deo pie fruentium.

Visionis mysterium
Corde levat fidelium,
Unde solenni gaudio
Clamat nostra devotio.

Pater cum Unigenito
 Et Spiritu Paraclito
 Unus nobis hanc gloriam
 Largire per praesentiam.

AD MATUTINUM.

O sator rerum, reparator aevi,
 Christe, rex regum, metuende censor,
 Ad preces nostras pariterque laudes
 Aspice gratis.

Noctis incursu tibi vota laudum
 Pangimus, praesta tibi sint ut apta,
 Nosque concentu refove perennis
 Luminis auctor.

Inter Heliam Moysenque vates,
 Ut jubar solis faciem refulgens,
 Candida veste nivis instar albae
 Tu micuisti.

Tu Dei Patris Patre teste proles
 Cum sis sanctorum decus angelorum
 Tu salus mundi, via, vita, virtus
 Crederis esse.

Gloria, virtus sit tibi Creator,
 Cuncta qui solus retinens gubernas,
 In throno regni sine fine regnans
 Trinus et unus.

AD LAUDES.

O nata lux de lumine,
Jesu redemptor saeculi,
Dignare clemens supplicum
Laudes precesque sumere.

Qui carne quondam contegi
Dignatus es pro perditis,
Nos membra confer effici
Tui beati corporis.

Prae sole vultu flammeus,
Ut nix amictu candidus,
Tu monte dignis testibus
Apparuisti conditor.

Vates alumnis abditos
Tuis alumnis conferens
Utrisque te divinitus
Deum dedisti credere.

Te vox paterna coelitus
Suum vocavit Filium,
Quem nos fideli pectore
Regem fatemur gloriae.

Concede nobis quaesumus
Almis micare moribus,
Ut ad polorum gaudia
Bonis vehamur actibus.

Laudes tibi nos, pangimus
Aeterne regum rex Deus,
Qui es trinus et unus Deus
Per cuncta regnans saecula.

IN ASSUMPTIONE BEATAE
MARIAE VIRGINIS.

AD SECUNDAS VESPERAS.

Laetabundus
Exultet fidelis chorus.
Alleluia.

Regem regum
Intacte profudit thorus ;
Res miranda.

Angelus consilii
Natus est de virgine,
Sol de stella.

Sol occasum nesciens,
Stella semper rutilans,
Semper clara.

Sicut sidus radium,
Profert virgo filium
Pari forma ;

Neque sidus radio,
Neque mater filio
Fit corrupta.

Cedrus alta Libani
Conformatur hysopo
Valle nostra.

Verbum ens altissimi
Corporari passum est
Carne sumpta.

Esayas cecinit,
Synagoga meminit,
Nunquam tamen desinit
Esse coeca.

Si non suis vatibus
Credat, vel gentilibus
Sibyllinis versibus
Haec praedicta.

Infelix propera,
Crede vel vetera,
Cur damnaberis
Gens misera.

Quem docet litera
Natum considera
Ipsam genuit puerpera.

IN FESTO S. MICHAELIS.

AD VESPERAS ET AD HORAS.

Tibi Christe, splendor Patris,
Vita, virtus cordium,
In conspectu angelorum
Votis, voce psallimus.
Alternantes, concrepantes,
Melos damus vocibus.

Collaudemus venerantes
Omnes coeli milites,
Sed praecipue primatem
Coelestis exercitus,
Michaellem in virtute
Conterentem Zabulon.

Quo custode procul pelle,
Rex Christe piissime,
Omne nefas inimici,
Mundo corde et corpore
Paradiso redde tuo
Nos sola clementia.

Gloriam Patri melodis
Personemus vocibus,
Gloriam Christo canamus,
Gloriam Paraclito,
Qui Deus trinus et unus
Extat ante saecula.

IN FESTO OMNIUM
SANCTORUM.

AD VESPERAS ET NOCTURNUM.

Jesu salvator saeculi,
Redemptis ope subveni,
Et pia Dei genitrix
Salutem posce miseris.

Coetus omnes Angelici
Et Patriarcharum cunei,
Et Prophetarum merita
Nobis precentur veniam.

Baptista Christi praevis,
Et claviger aethereus,
Cum caeteris apostolis,
Nos solvant nexu criminis.

Chorus sacratus Martyrum,
Confessio sacerdotum,
Et Virginalis castitas
Nos a peccatis abluant.

Clericorum suffragia
Omnesque cives coelici
Annuant votis supplicum
Et vitae poscant praemium.

Laus, honor, virtus, gloria
Deo Patri et Filio,
Sancto simul Paraclito
In sempiterna saecula.

AD LAUDES.

Christe, Redemptor omnium,
Conserva tuos famulos,
Beatae semper Virginis
Placatus sanctis precibus.

Beata quoque agmina
Coelestium spirituum,
Praeterita, praesentia,
Futura mala pellite.

Vates aeterni iudicis,
Apostolique Domini,
Suppliciter exposcimus
Salvari vestris precibus.

Martyres Dei inclyti,
Confessoresque lucidi,
Vestris orationibus •
Nos ferte in coelestibus.

Chorus sanctarum Virginum,
Clericorumque omnium,
Simul cum sanctis omnibus,
Consortes Christi facite.

Mentem auferte perfidam
Credientium de finibus,
Ut Christo laudes debitas
Persolvamus alacriter.

Gloria Patri ingenito,
Ejusque Unigenito,
Una cum sancto Spiritu
In sempiterna saecula.



HYMNI

E BREVIARIO EBORACENSI.



HYMNI.

IN NATIVITATE DOMINI.

AD COMPLETORIUM.

Corde natus ex parentis
Ante mundi exordium,
Alpha et oo cognominatus,
Ipse fons et clausula
Omnium quae sunt, fuerunt,
Quaeque post futura sunt
Saeculorum saeculis.

Ecce quem vates vetustis
Concinebant saeculis,
Quem prophetarum fideles
Paginae spoponderant,
Emicat promissus olim,
Cunctaque collaudent Deum
Saeculorum saeculis.

O beatus ortus ille,
Virgo cum puerpera
Edidit nostram salutem
Foeta sancto Spiritu,
Et puer Redemptor orbis
Os sacratum protulit
Saeculorum saeculis.

Psallat altitudo coeli,
Psallant omnes angeli,
Quicquid est virtutis usquam
Psallat in laudem Dei,
Nulla linguarum silescat,
Vox et omnis personet
 Saeculorum saeculis.

Te senes, et te juvenus,
Parvulorum te cohors,
Turba matrum, virginumque,
Simplices puellulae,
Voce concordēs pudicis
Perstrepant concentibus
 Saeculorum saeculis.

Tibi Christe sit, cum Patre,
Agioque Spiritu,
Hymnus, melos, laus perennis,
Gratiarum actio,
Honor, virtus, et victoria,
Regnum, aeternaliter
 Saeculorum saeculis.

AD PRIMAM.

Agnoscat omne saeculum
Venisse vitae praemium ;
Post hostis asperi jugum
Apparuit redemptio.

Esayas quae praecinit
Completa sunt in Virgine;
Annunciavit angelus,
Sanctus replevit Spiritus.

Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et sancto Spiritu,
In sempiterna saecula.

AD TERTIAM.

Maria ventre concepit
Verbi fideli semine,
Quem totus orbs non bajulat
Portant puellae viscera.

Radix Jessae jam floruit,
Et virga fructum edidit,
Foecunda partum protulit,
Et Virgo mater permanet.

Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et sancto Spiritu,
In sempiterna saecula.

AD SEXTAM.

Praesepe poni pertulit
 Qui lucis auctor extitit,
 Cum Patre coelos condidit,
 Sub matre pannis induit.

Legem dedit qui saeculo,
 Cujus decem praecepta sunt,
 Dignando factus est homo
 Sub legis esse vinculo.

Gloria tibi, Domine,
 Qui natus es de Virgine,
 Cum Patre et sancto Spiritu,
 In sempiterna saecula.

AD NONAM.

Adam vetus quod polluit
 Adam novus hoc abluit:
 Tumens quod ille dejecit
 Humillimus hic erigit.

Jam nata lux est et salus,
 Fugata nox, et victa mors;
 Venite gentes credite;
 Deum Maria protulit.

Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et sancto Spiritu,
In sempiterna saecula.

DOMINICA TERTIA
QUADRAGESIMAE.

SABBATO AD VESPERAS.

Jam ter quaternis trahitur
Horis dies ad vespervas,
Occasum sol̄ pronuntiat
Noctis redire tempora.

Nos ergo signo Domini
Tutamur claustra pectoris,
Ne serpens ille callidus
Intrandi tentet aditus.

Sed armis pudicitiae
Mens fulta vigil libere,
Sobrietate comite
Hostem repellat improbum.

Sed nec ciborum crapula
Tandem distendat corpora,
Ne vi per somnum animam
Ludificatam polluat.

Praesta beata Trinitas,
Concede simplex Unitas,
Ut fructuosa sint tuis
Jejuniorum munera.

IN ASCENSIONE DOMINI.

AD MATUTINUM.

Hymnum canamus gloriae,
Hymni novi nunc personent,
Christus novo cum tramite
Ad Patris ascendit thronum.

Apostoli tunc mystico
In monte stantes chrismatis,
Cum matre clara Virgine,
Jesu videbant gloriam.

Quos alloquentes angeli,
Quid astra stantes cernitis?
Salvator hic est, inquiunt,
Jesus triumpho nobili.

Sicque venturum asserunt,
Quemadmodum hunc viderunt
Summa polorum culmina
Scandere Jesum splendida.

Da nobis illuc sedula
Devotione tendere,
Quo te sedere cum Patre
In arce regni credimus.

Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurus praemium;
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper saecula.

Gloria tibi, Domine,
Qui scandis supra sidera,
Cum Patre et sancto Spiritu,
In sempiterna saecula.

FERIA II. PENTECOSTES.

AD COMPLETORIUM.

Laudes Deo devotas
Dulci voce ac sonora
Plebs resultet Catholica.
Spiritus sancti gratia
Apostolis die hodierna
In igneis linguis est effusa.
Paracliti praesentia
Emundet nos a peccati macula

Pura sibi aptans habitacula,
 Charismatum et munera
 Pectoribus nostris pius infundat,
 Vita nostra ei ut complaceat
 Per saeculorum saecula.
 Conclamemus alleluia,
 Sit Deo laus, potestas,
 Honor, virtus, et gloria.

IN FESTO SS. APOSTOLORUM
 PETRI ET PAULI.

AD PRIMAS VESPERAS.

Felix per omnes festum mundi cardines
 Apostolorum praepollet alacriter
 Petri beati, Pauli sacratissimi,
 Quos Christus almo consecravit sanguine,
 Ecclesiarum deputavit principes.

Hi sunt olivae duae coram Domino,
 Et candelabra luce radiantia,
 Praeclara coeli duo luminaria,
 Fortia solvunt peccatorum vincula,
 Portas Olympi reserunt fidelibus.

Habent supernas potestatem claudere
 Sermone sedes, pandere splendentia
 Limina poli super alta sidera,
 Linguae eorum claves coeli factae sunt,
 Larvas repellunt ultra mundi limitem.

Petrus beatus catenarum laqueos
Christo jubente rupit mirabiliter
Custos ovilis, et doctor Ecclesiae,
Pastorque gregis, conservator ovium,
Arcet luporum truculentam rabiem.

Quodcumque vinculis super terram strinxerit
Erit in astris religatum fortiter;
Et quod resolvit in terris arbitrio
Erit solutum super coeli radium;
In fine mundi iudex erit saeculi.

Non impar Paulus huic, doctor gentium,
Electionis templum sacratissimum,
In morte compar, in corona particeps,
Ambo lucernae et decus ecclesiae
In orbe claro coruscant vibramine.

O Roma felix, quae tuorum principum
Es purpurata pretioso sanguine,
Excellis omnem mundi pulchritudinem,
Non laude tua sed sanctorum meritis,
Quos cruentatis jugulasti gladiis.

Vos ergo modo gloriosi martyres,
Petre beate, Paule mundi liliū,
Coelestis aulae triumphales milites,
Precibus almīs vestris nos ab omnibus
Munite malis, ferte super aethera.

Gloria Deo per immensa saecula;
Sit tibi Nate decus et imperium,
Honor, potestas, sanctoque Spiritui;
Sit Trinitati salus individuae
Per infinita saeculorum saecula.

IN FESTO
S. MARIAE MAGDALENAE.

AD VESPERAS.

Lauda, mater Ecclesia,
Lauda Christi clementiam
Qui septem purgat vitia
Per septiformem gratiam.

Maria soror Lazari,
Quae tot commisit crimina,
Ab ipsa fauce tartari
Redit ad vitae limina.

Aegra currit ad medicum
Vas ferens aromaticum,
Ita morbo multiplici
Verbo curatur medici.

Contriti cordis unctio,
Cum lachrymarum fluvio,
Et pietatis actio
Ream solvit a vitio.

Post fluxae carnis scandala,
Fit ex lebete phiala,
In vas translata gloriae
De vase contumeliae.

Surgentem cum victoria
Jesum vidit ab inferis,
Prima meretur gaudia
Quae plus audebat caeteris.

Uni Deo sit gloria
Pro multiformi gratia,
Qui culpas et supplicia
Remittit et dat praemia.

AD LAUDES.

Aeterni Patris Unice,
Nos pio vultu respice,
Qui Magdalenam hodie
Vocas ad thronum gloriae.

In thesauro recondita
Regis est drachma perdita,
Gemmaque lucet inclyta
Ex luto luci reddita.

Jesu dulce refugium,
Spes una poenitentium,
Per peccatricis meritum
Peccati solve debitum.

Nos vitiorum stimuli
Jugi vexant instantia,
Et blandimentis saeculi
Corrumpunt lenocinia*.


Uni Deo sit gloria
Pro multiformi gratia,
Qui culpas et supplicia
Remittit, et dat praemia.

* Libet, nec licet libere
Tibi pro voto psallere,
Dum mens aegra sub miserae
Carnis gemiscit onere.

Pia mater et humilis,
Naturae memor fragilis,
Nos rege tuis precibus
In hujus vitae fluctibus.

PROSAE

E MISSALI PARISIENSI.



PROSAE

E MISSALI PARISIENSI.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Ad Jesum accurrite,
Corda vestra subdite
Regi novo gentium.

Stella Christum praedicat,
Intus fides indicat
Redemptorem omnium.

Huc afferte munera
Voluntate libera,
Sed munera cordium,

Haec erit gratissima
Salvatori victima,
Mentis sacrificium.

Aurum offert caritas,
Et myrrham austeritas,
Et thus desiderium.

Auro rex agnoscitur,
Homo myrrha, colitur
Thure Deus gentium.

Judaea, gaudentibus
Non invade gentibus
Retectum mysterium.

Post custodes ovium
Se Magi fidelium
Jungunt in consortium.

Qui Judaeos advocat
Christus, gentes convocat
In unum tugurium.

Bethleem fit hodie
Totius Ecclesiae
Nascentis exordium.

Regnet Christus cordibus,
Et victis rebellibus
Proferat imperium.

IN PRAESENTATIONE DOMINI.

Ave plena gratia,
Cujus inter brachia
Se litat Deo Deus.

Fac me templum visere
Tibi fas occurrere,
Amor, O Jesu, meus.

Est in templo Dominus,
Angeli stant cominus;
Nil in coelis amplius.

Habet Deus hominem,
Et parentem Virginem,
Coelo templum ditius.

Spirant sacra gaudium;
Mane sacrificium
Plausus inter redditur.

Vespertinum fletibus,
Et amaris questibus
In cruce miscebitur.

Haec jam est oblatio
Cujus omnes pretio
Deo restituimur.

Jam non nobis dediti,
Tibi, Deus, subditi,
Vivimus et morimur.

Nunc dimitte famulos:
Nil tenet hic oculos;
Da te palam cernere.

Si jubes hic vivere,
Da cum Jesu crescere,
Da per hunc resurgere.

IN DIE SANCTO PASCHAE.

Victimae Paschali
Laudes immolent Christiani: Agnus
redemit oves; Christus innocens
Patri reconciliavit peccatores.

Mors et vita duello confluxere mirando:
dux vitae mortuus, regnat vivus.

Dic nobis, Maria,
Quid vidisti in via?

Sepulchrum Christi viventis,
Et gloriam vidi resurgentis.

Angelicos testes,
Sudarium, et vestes.

Surrexit Christus, spes mea; praecedit
vos in Galilaeam.

Scimus Christum surrexisse a mortuis
vere:
Tu nobis victor Rex miserere.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Solemnis haec festivitas
Novum instaurat gaudium,
Qua perennis felicitas
Proponitur in praemium.

Christus scandens in aethera
Mortis fregit potentiam;
Sedens Patris in dextera
Jugem parat laetitiam.

Dies per multos saepius
Suis vivus apparuit;
Et comitum cor durius
Mitis magister arguit.

Suos per gentes imperat
Ferre salutis nuntium,
Sed non prius quam afferat
Dei virtus auxilium.

Discipulis mirantibus
Coelo triumphans redditur,
Et subductus aspectibus
Nube clara suscipitur.

Qui penetravit inferas
Domos Redemptor pacifer,
Se fert in sedes superas
Mundi supremus arbiter.

Ab ascendente ducitur
Regnatura captivitas:
Palma victis asseritur,
Mortuis immortalitas.

Ut ascendit sic veniet
Sedens in nubis solio;
Poena malos afficiet
Judex bonosque praemio.

Patri monstrat assidue
Quam dura tulit vulnera :
Et sic pacis perpetuae
Nobis exorat foedera.

Nunc animis accipite
Paratum coelo praemium,
Ut membrorum cum capite
Arctius sit consortium.

Quos hic orphanos deseris,
Jesu, respice coelitus ;
Mitte nobis e superis
Promissa dona Spiritus.

Tibi devotis mentibus
Per te luceat veritas,
Per te succensis cordibus
Divina flagret caritas.

IN DIE SANCTO
PENTECOSTES*.

Veni Sancte Spiritus,
Et emitte coelitus
Lucis tuae radium.

* Habetur et in Rom.

Veni Pater pauperum,
Veni dator munerum,
Veni lumen cordium.

Consolator optime,
Dulcis hospes animae,
Dulce refrigerium.

In labore requies,
In aestu temperies,
In fletu solatium.

O lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.

Sine tuo numine,
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.

Lava quod est sordidum,
Riga quod est aridum,
Sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum,
Fove quod est frigidum,
Rege quod est devium.

Da tuis fidelibus
In te confidentibus
Sacrum septenarium.

Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium.

IN FESTO S. SACRAMENTI*.

Lauda Sion Salvatorem,
Lauda ducem et pastorem
In hymnis et canticis,
Quantum potes tantum aude
Quia major omni laude,
Nec laudare sufficis.

Laudis thema specialis,
Panis vivus et vitalis
Hodie proponitur.
Quem in sacrae mensa coenae
Turbae fratrum duodenae
Datum non ambigitur.

Sit laus plena, sit sonora,
Sit jucunda, sit decora
Mentis jubilatio.
Dies enim solemnis agitur,
In qua mensae prima recolitur
Hujus institutio.

In hac mensa novi regis
Novum Pascha novae legis
Phase vetus terminat.
Vetustatem novitas,
Umbram fugat veritas,
Noctem lux eliminat.

* Habetur et in Rom.

Quod in coena Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.

Docti sacris institutis,
Panem, vinum, in salutis
Consecramus hostiam.

Dogma datur Christianis,
Quod in carnem transit panis,
Et vinum in sanguinem.
Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides,
Praeter rerum ordinem.

Sub diversis speciebus,
Signis tantum, et non rebus,
Latent res eximiae:
Caro cibus, sanguis potus;
Manet tamen Christus totus
Sub utraque specie.

A sumente non concisus,
Non confractus, non divisus,
Integer accipitur.
Sumit unus, sumunt mille;
Quantum isti tantum ille,
Nec sumptus consumitur.

Sumunt boni sumunt mali,
Sorte tamen inaequali
Vitae vel interitus.
Mors est malis, vita bonis;
Vide paris sumptionis
Quam sit dispar exitus.

Fracto demum sacramento,
Ne vacilles, sed memento
Tantum esse sub fragmento
Quantum toto tegitur.
Nulla rei fit scissura ;
Signi tantum fit fractura,
Quae nec status, nec statura
Signati minuitur.

Ecce panis angelorum,
Factus cibus viatorum,
Vere panis filiorum,
Non mittendus canibus.
In figuris praesignatur,
Cum Isaac immolatur :
Agnus Paschae deputatur,
Datur manna patribus.

Bone pastor, panis vere,
Jesu, nostri miserere ;
Tu nos pasce, nos tuere,
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.
Tu, qui cuncta scis et vales,
Qui nos pascis hic mortales,
Tuos ibi commensales,
Cohaeredes et sodales
Fac sanctorum civium.

IN ANNUNCIATIONE
DOMINI.

Humani generis
Cessent suspiria;
Beata miseris
Affert hic nuntia
Dies mortalibus.

Unius scelere
Cuncti cecidimus;
Lapsos erigere
Venit Altissimus
De coeli sedibus.

Delectae Virgini
Quae Deum pariat,
Angelus Domini
Salutis nuntiat
Nostrae mysterium.

O beatissima
Prae mulieribus,
Virgo castissima,
Deum visceribus
Suscipe filium.

Virtute Spiritus
In sinu Virginis,
Innocens penitus
A labe criminis
Caro compingitur.

Per hanc infantibus
Lactescit teneris
Ille qui mentibus
Panis a superis
In coelis editur.

Quod sine tempore
De Patre nascitur,
Mortali corpore
Verbum induitur,
Ut salvet hominem.

Corpus hoc offeret
In sacrificium;
Servos ut liberet,
Totum in pretium
Effundet sanguinem.

Errabam devius
Exul a patria,
Semitae nescius
Ad vera gaudia
Per quam. regrediar.

In mea Dominus
Venit exilia,
Viaeque terminus
Ipse fit, et via;
Tutusⁿ hac gradiar.

O Veritas latens
Sub velo corporis,
Sed oculis patens
Mundati pectoris,
Tu nos illumina.

Et tu pro miseris
Supplica numini,
Quae te dum asseris
Ancillam Domini,
Fis mundi domina.

IN FESTO SS. DIONYSII EPISCOPI,
RUSTICI, ET ELEUTHERII
MARTYRUM.

Exultet Ecclesia,
Dum triumphat Gallia
 Patre Dionysio.
Exultet uberius
Felici Parisius
 Illustris martyrio.

Dies festus agitur
Quo trium recolitur
 Martyrum victoria :
Quorum patrocínio
Tota gaudet regio,
 Regni stat potentia.

Juxta patrem positi
Bellatores inclyti,
 Digni sunt memoria.
Sed illum praecipue
Recolit assidue -
 Regalis Ecclesia.

Hic a summo praesule
Directus in Galliam,
Non gentis incredulae
Veretur insaniam.

Gallorum apostolus
Venerat Lutetiam,
Quam tenebat subdolus
Hostis velut propriam.

Hic constructo Christi templo,
Verbo docet et exemplo,
Coruscat miraculis.
Turba credit, error cedit,
Fides crescit, et clarescit
Nomen tanti praesulis.

His auditis fit insanus
Imperator inhumanus,
Mittitque Sisinnium,
Qui pastorem animarum,
Fide, vita, signis clarum,
Trahat ad supplicium.

Infliguntur coeni poenae,
Flagra, carcer, et catenae,
Invicta sed constantia
Tormenta vincit omnia :
Recordatus emensorum
Fortis athleta laborum,
Per nova gaudens praelia
Aeterna quaerit praemia.

Immolati vir beatus
Agni carne saginatus,
Et praesenti roboratus
 Ad certamen numine ;
Quam sermone praedicavit,
Mille signis quam probavit,
Hanc signare festinavit,
 Fuso fidem sanguine.

Prodit martyr conflicturus,
Sub securi stat securus,
 Ferit lictor,
 Sicque victor
 Consummatur gladio.
Administri qui sacrorum
Consortes fiunt laborum,
 Consecrantur,
 Coronantur,
 Uno tres martyrio.

Tam praeclara passio
Repleat nos gaudio.

IN FESTO OMNIUM
SANCTORUM.

Sponsa Christi quae per orbem
 Militas Ecclesia,
Prome cantus, et sacratos
 Dic triumphos coelitem.

Haec dies cunctis dicata,
Mixa coeli gaudiis:
Laeta currat, et solemni
Personet melodia.

Laureatum ducit agmen
Juncta Mater Filio,
Sola quae partu pudorem
Virgo nunquam perdidit.

Mox sequuntur angelorum
Administri spiritus,
Siderumque conditori
Mille laudes concinunt.

His Joannes, vate major,
Praeco Christi praeuius,
Patriarchae cum prophetis,
Accinunt dulci melo.

Principes sacri senatus,
Orbis almi iudices,
Sedibus celsis sublimes
Facta pendunt omnium.

Prodigi vitae cruore
Purpurati martyres,
Auspicati morte vitam,
Pace gaudent perpeti.

Turba sacra confitentum,
Cum Levitis praesules,
Saeculi luxu rejecto,
Perfruuntur gloria.

Pompa nuptialis, Agno
Consecratae virgines,
Liliis rosisque sponsum
Aemulantur prosequi.

Omnibus sors haec beata,
Gloriam Deo dare,
Et potentem confiteri,
Terque sanctum dicere.

Coelites, o vos beati,
Quos Deus felicitat,
Supplicum votis adeste
Et favete singuli.

Hausta fonte liberali
Dona, terris fundite:
Pace nostris in diebus
Obtinet perfrui.

Ut Deo cum sanctitate
Serviamus subditi,
Gloriae post hac futuri
Quam tenetis compotes.

IN MISSA DEFUNCTORUM.

Dies irae, dies illa
Solvat saeculum in favilla,
Teste David cum Sibylla.

Quantus tremor est futurus
Quando judex est venturus,
Cuncta stricte discussurus!

Tuba mirum spargens sonum
Per sepulcra regionum,
Coget omnes ante thronum.

Mors stupebit et natura
Cum resurget creatura
Judicanti responsura.

Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.

Judex ergo cum sedebit,
Quidquid latet apparebit,
Nil inultum remanebit.

Quid sum miser tunc dicturus?
Quem patronum rogaturus?
Cum vix justus sit securus.

Rex tremendae majestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salve me, fons pietatis.

Recordare, Jesu pie,
Quod sum causa tuae viae,
Ne me perdas illa die.

Quaerens me, sedisti lassus;
Redemisti crucem passus:
Tantus labor non sit cassus.

Juste judex ultionis,
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.

Ingemisco tanquam reus,
Culpa rubet vultus meus;
Supplicanti parce, Deus.

Peccatricem absolvisti,
Et latronem exaudisti;
Mihi quoque spem dedisti.

Preces meae non sunt dignae,
Sed tu bonus fac benigne
Ne perenni cremer igne.

Inter oves locum praesta;
Et ab haedis me sequestra,
Statuens in parte dextra.

Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.

Oro supplex et acclinis,
Cor contritam quasi cinis,
Gere curam mei finis.

Lacrymosa dies illa,
Qua resurget ex favilla
Judicandus homo reus,
Huic ergo parce, Deus.

Pie Jesu Domine,
Dona eis requiem.

IN DOMINICA IN PALMIS*.

Gloria, laus, et honor tibi sit rex Christe redemptor:
Cui puerile decus prompsit Hosanna pium.

Israel es tu Rex, Davidis et inclyta proles:
Nomine qui Domini rex benedicte venis.
Gloria, &c.

Coetus in excelsis te laudat coelicus omnis,
Et mortalis homo, et cuncta creata simul.
Gloria, &c.

Plebs Hebraea tibi cum palmis obvia venit:
Cum prece, voto, hymnis, adsumus ecce tibi.
Gloria, &c.

Hi tibi passuro solvebant munia laudis:
Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.
Gloria, &c.

Hi placuere tibi, placeat devotio nostra:
Rex bone, rex clemens, cui bona cuncta placent.
Gloria, &c.

* Hymnus e Missali Romano.

MISSA DE SEPTEM DOLORIBUS

B. M. VIRGINIS.

Stabat Mater dolorosa,
Juxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius ;
Cujus animam gementem,
Contristantem et dolentem,
Pertransivit gladius.

O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti,
Quae moerebat et dolebat
Et tremebat, cum videbat
Nati poenas inclyti.

Quis est homo qui non fleret,
Christi matrem si videret
In tanto supplicio :
Quis posset non contristari
Piam matrem contemplari,
Dolentem cum Filio !

Pro peccatis suae gentis,
Vidit Jesum in tormentis,
Et flagellis subditum :
Vidit suum dulcem natum
Morientem, desolatum,
Dum emisit spiritum.

Eia Mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris,
Fac ut tecum lugeam

Fac ut ardeat cor meum
 In amando Christum Deum,
 Ut sibi complaceam.

Sancta Mater, istud agas,
 Crucifixi fige plagas
 Cordi meo valide :
 Tui nati vulnerati,
 Jam dignati pro me pati,
 Poenas mecum divide.

Fac me vere tecum flere,
 Crucifixo condolere,
 Donec ego vixero :
 Juxta crucem tecum stare,
 Te libenter sociare
 In planctu desidero.

Virgo virginum praeclara,
 Mihi jam non sis amara,
 Fac me tecum plangere ;
 Fac ut portem Christi mortem,
 Passionis ejus sortem
 Et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari,
 Cruce hac inebriari,
 Ob amorem Filii.
 Inflammatus et accensus
 Per te, Virgo, sim defensus
 In die judicii.

Fac me cruce custodiri,
 Morte Christi praemuniri,
 Confoveri gratia.
 Quando corpus morietur,
 Fac ut animae donetur,
 Paradisi gloria.

PROSAE
E PROCESSIONALI EBORACENSI.

PROSAE
E PROCESSIONALI EBORACENSI.

IN DIE PASCHAE.

Salve festa dies, toto venerabilis aevo,
Quae Deus infernum vicit et astra tenet.
Salve, &c.

Ecce renascentis testatur gratia mundi
Omnia cum Domino dona redisse suo.
Salve, &c.

Tempora florifero rutilant distincta sereno
Et majore poli lumine porta patet.
Salve, &c.

Altius ignivomum solem coeli orbita ducit,
Qui vagus Oceani exit et intrat aquas.
Salve, &c.

Jamque triumphanti post tristia tartara Christo
Undique fronde nemus, gramina flore favent.
Salve, &c.

Legibus inferni oppressis super astra meantem
Laudent rite Deum lux, polus, astra, fretum.
Salve, &c.

Qui crucifixus erat Deus ecce per omnia regnat,
Dantque Creatori cuncta creata preces.
Salve, &c.

Nobilitas anni, mensium decus, alme dierum,
Horarum splendor, scrupula cuncta patent.
Salve, &c.

Christe salus rerum, bone conditor atque re-
demptor,
Unica progenies ex Deitate patris.
Salve, &c.

Qui genus humanum cernens mersisse profundo,
Ut hominem eriperes, es quoque factus homo.
Salve, &c.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Salve festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua Deus ad coelos scandit et astra tenet.
Salve, &c.

Qui paucis postquam surrexerat ipse diebus
Pectora confirmans, discipulos solidas.
Salve, &c.

Atque potestatem laxandi crimina praestans,
Discipulos pariter posse ligare dedit.
Salve, &c.

Ite meum nomen per totum gentibus orbem,
Dicite credentibus notificare Deum.
Salve, &c.

Et qui crediderit, et quem baptismatis unda
Tinxerit in Christi nomine, salvus erit.
Salve, &c.

Quem mittam vobis, vos spiritus ille docebit
In linguis variis omnia posse loqui.
Salve, &c.

Post modicum veniet qui suggerit omnia vobis,
Et visurus eum vado parare locum.
Salve, &c.

Hoc cum dixisset cunctis cernentibus illum
Nubes suscepit [eum] dum super astra meat*.
Salve, &c.

IN DIE PENTECOSTES.

Salve festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua Deus de coelo gratia fulsit humo.
Salve, &c.

* Delenda esse videtur vox *eum*.

Spiritus ecce Deus privatoque quo ejus
 Ignis adest specie discipulis hodie.
 Salve, &c.

Mentibus humanis infudit opes deitatis,
 A Patre procedens mystica dona ferens.
 Salve, &c.

Non cessat variis Christi magnalia linguis
 Plebs benedicta loquens gentibus omnigenis.
 Salve, &c.

Laus tibi, vitæ pneuma sacrum, fons, lux ani-
 marum,
 Omnia vivificans semper et irradians.
 Salve, &c.

Pax, Deus, omne bonum, dulcis concordia morum,
 Reple corda tuo munere mellifluo.
 Salve, &c.

Poscimus, omnipotens, mare, terras, sidera replens,
 Nos tibi purifica, protege, vivifica.
 Salve, &c.*

Nostra pie tangat seraphin carbunculus ora,
 Ut mens perpetuo flagret amore tuo.
 Salve, &c.

* Intima Domine ad praegustatae sophiae
 Qua redolet Cherubin praedictus ordo Dei.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Salve festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua Deus Ecclesiam dicat honore suam.
Salve, &c.

Ecce dies laeta, post tristia tartara spreta,
Gratia succedit, perdita vita redit.
Salve, &c.

Hoc corpus Christi, salvans de funere tristi,
Manna figuravit, litera prisca canit.
Salve, &c.

Hoc verbum Patris coeli formator et orbis
Cum Patre cuncta creat et deitate beat.
Salve, &c.

Angelis est panis summa refecto sacris,
Sed sensu vanis nil valet iste panis.
Salve, &c.

Hoc corpus verum firmans primordia rerum,
Infera confregit atque redempta regit.
Salve, &c.

Laudem complacuit, carnem sine semine sumpsit,
Virginis et matris viscera sacra replet.
Salve, &c.

In coena residens, corpus cum sanguine sumens,
Discipulos pavit, mystica dona dedit.
Salve, &c.

Intactae matris natus, sapientia Patris,
Constat in altari victima vera Dei.
Salve, &c.

In cruce regnavit, moriens mortem superavit,
Et mundi maculas sanguis et unda lavit.
Salve, &c.

Palmas extendit, vitam pro morte rependit,
Post triduum surgens, corpus ad alta vehens.
Salve, &c.

Perpetuam requiem tu fons et origo bonorum,
Hunc servando chorum da sine nocte diem.
Salve, &c.

IN DEDICATIONE ECCLESIAE.

Salve festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua sponso sponsa jungitur Ecclesia.
Salve, &c.

Haec est aula Dei, pacis locus et requiei,
Hic et eunt inopes ad Salomonis opes.
Salve, &c.

Filius ille David qui nos sibi consociavit,
Hac in matre domo et Deus est et homo.
Salve, &c.

Copula coelestis vos spiritualiter estis,
Si servando fidem esse velitis idem.
Salve, &c.

Urbs nova Hierusalem descendens spiritualem
Attulit ornatum lucis ab arce datum.
Salve, &c.

Hinc fidei fructum sacro baptisate ductum
Dat Rex justitiae coelitus Ecclesiae.
Salve, &c.

Firma David turris, huc si pede perpete curris,
Invenies in ea pignora siderea.
Salve, &c.

Haec est arca Dei credentibus auxiliatrix,
Quae vehit ad portum quos vehit unda maris.
Salve, &c.

HYMNUS IN VIGILIA PASCHAE.

E Processionali Eboracensi.

Inventor rutili Dux bone luminis,
Qui certis vicibus tempora dividis,
Merso sole chaos ingruit horridum,
Lumen redde tuis Christe fidelibus.

Inventor rutili, &c.

Quamvis innumero sidere regiam
Lunarique polum lampade pinxeris,
Incussu silicis lumina nos tamen
Monstrans saxigeno semine quaerere.

Inventor, &c.

Tu lux vera oculis, lux quoque sensibus,
Intus tu speculum, tu speculum [et] fons
Lumen quod famulus offero suscipe,
Tinctum pacifici chrismatis unguine.

Inventor, &c.

Per Christum genitum summe Pater tuum,
In quo visibilis stat tibi gloria,
Quo noster Dominus qui tuus unicus
Spirat de Patrio corde Paraclitum.

Inventor, &c.

Per quem splendor, honor, laus, sapientia,
Majestas, bonitas, et pietas tua
Regnum continuat numine triplici
Texens perpetue saecula saeculis.

INDEX. PARS I.

A DESTE, Coelitum chori	78
A deste, sanctae conjuges	204
Ad nuptias Agni Pater	203
Adoro te devote, latens Deitas	103
Ad prima verba Virginis	134
Adsis, superne Spiritus	96
Ad templa nos rursus vocat	2
Ardet Deo quae Femina	205
Audi, benigne Conditor	66
Audimur: almo Spiritus	93
Aurora lucis dum novae	79
Christe, decreto Patris institutus	180
Christe, Pastorum caput atque princeps	179
Christe, prolapsi reparator orbis	123
Christe, qui sedes Olympo	155
Christi martyribus debita nos decet	176
Christi perennes nuntii	170
Christus tenebris obsitam	58
Clamantis ecce vox sonans	52
Coelestis Ales nuntiat	114
Coelestis aulae principes	168
Coelestis aula panditur	199
Coelestis, O Jerusalem	160
Coelo datur quiescere	121
Coelo quos eadem gloria consecrat	161
Custodes hominum psallimus Angelos	157

Da, Christe, nos tecum mori	80
Debilis cessent elementa legis	44
Dei canamus gloriam	8
Descende coelo : te Michael vocat	156
Die dierum princepe	1
Dignas quis, O Deus, tibi	17
Divine, crescebas, Puer	57
DOXOLOGIAE	211—216
Dum, Christe, confixus cruci	74
Dum morte victor obruta	116
Dum spargit aram sanguine	76
Ecce, saltantis pretium puellae	146
Ecce sedes hic Tonantis	209
Emergit undis, et Deo	54
Exiit cunis pretiosus infans	124
Ex quo, salus mortalium	172
Fac, Christe, nostri gratia	56
Fando quis audivit, Dei	71
Felices nemorum pangimus incolas	189
Felix dies mortalibus	86
Felix dies, quam proprio	45
Felix morte tua, qui cruciatibus	174
Flagrans amore, perditos	148
Fortes cadendo Martyres	177
Forti tegente brachio	81
Fumant Sabaeis templa vaporibus	110
Grates, peracto jam die	7
Haec illa solemnis dies	113
Hoc, jussa quondam rumpimus	140
Horres superbos, nec tuam	16
Huc vos o miseri : surda relinquit	50
Hymnis dum resonat curia Coelitum	162

Iisdem creati fluctibus	16
Illæsa, te, puerpera	77
Impune Vati non erit: impotens	145
Infans pulsa recens matris ab ubere	164
In noctis ¹ umbra desides	29
Instantis adventum Dei	26
Inter sulphurei fulgura turbinis	92
Intrante Christo Bethanicam domum	150
Jactamur heu quot fluctibus	10
Jam desinant suspiria	32
Jam lucis orto sidere	3
Jam nil Hebraeis, Gentium plebs, invide	129
Jam non te lacerant carnificum manus	175
Jam nunc, quæ numeras tot tibi vindices	184
Jam sanctius moves opus	19
Jam satis fluxit cruor hostiarum	187
Jam solis excelsum jubar	5
Jesu, dulcedo cordium	142
Jesu, nostra redemptio	85
Jesu, Redemptor omnium	33
Jesu, Redemptor seculi	82
Jesu, Sacerdotum decus	181
Jordanis oras prævia	27
Jubes: et, in præceps aquis	11
Jussu tyranni pro fide	120
Labente jam solis rota	5
Laetis terra sonet plausibus: huic Dei	152
Lignum crucis mirabile	154
Linquunt tecta Magi principis urbis	49
Lugete, pacis angeli	21, 69
Maria sacro saucia vulnere	137
Miramur, O Deus, tuæ	14
Miris probat sese modis	37

Missum Redemptorem polo	31
Molles in agnos ceu lupus	43
Montes, superbum verticem	133
Mortale, coelo tolle, genus, caput	153
Mundi salus qui nasceris	30
Nil laudibus nostris eges	9
Nobis Olympo redditus	88
Non abluunt lymphae Deum	53
Non parta solo sanguine	194
Non vana dilectum gregem	201
Noxium Christus simul introivit	46
Nunc suis tandem novus e latebris	125
O Christe, qui noster poli	89
O fons amoris, Spiritus	4
O fortis, O clemens Deus	18
O jam beata, quae suo	206
O luce quae tua lates	99
O luce qui mortalibus	6
Omnibus manat cruor ecce venis	147
Opprobriis, Jesu, satur	73
O pulchras acies, castraque fortia	190
Opus peregisti tuum	83
O quam juvat fratres, Deus	13
O qui tuo, dux Martyrum	35
O qui perpetuus nos monitor doces	183
Orbe nunc toto celebrentur ambo	128
O Sacerdotum veneranda jura	188
O sancte Sanctorum Deus	165
O splendor aeterni Patris	67
O virgo, pectus cui sacrum	202
O vos cum citharis dulce sonantibus	196
Panditur saxo tumulus remoto	150

Pange, lingua, gloriosi	102
Pastore percusso, minas	106
Patris aeterni Soboles coeva	207
Petrum, tyranne, quid catenis obruis	139
Plagis Magistri saucia	136
Praedicta Christi mors adest	117
Procul maligni cedite spiritus	135
Prome vocem, mens, canoram	68
Promissa, tellus, concipe gaudia	84
Promittis, et servas datam	15
Pugnate, Christi milites	159
Pulsum supernis sedibus	115
Qua lapsu tacito stella loquacibus	51
Quae gloriosum tanta coelis evocat	108
Quae stella sole pulchrior	48
Quae te pro populi criminibus nova	70
Quam, Christe, signasti viam	178
Quam nos potenter allicis	141
Quam pulchre graditur filia Principis	163
Quantis micas honoribus	186
Quem misit in terras Deus	169
Quem nox, quem tenebrae, densaque nubila	40
Qui Christiano gloriantur nomine	138
Quid moras nectis? Domino jubenti	126
Quid obstinata pectora	36
Quid sacram, Virgo, generosa Martyr	200
Quid tu, relictis urbibus	192
Qui nos creas solus, Pater	61
Qui sacris hodie sistitur aris	111
Quis ille, sylvis e penetralibus	144
Qui te Deus, sub intimo	195
Quod carne Christum, Virgo, paris, vocant	143
Quod lex adumbravit vetus	64
Quo sanctus ardor te rapit	132

Quos in hostes, Saule, tendis	107
Quos junxit unus, vita dum mansit, labor	127
Quo vos Magistri gloria, quo salus	95
Rebus creatis nil egens	60
Redditum luci, Domino vocante	149
Regnator orbis summus et arbiter	158
Regnis paternis debitus	118
Rerum Creator omnium	23
Sacris solemnibus juncta sint gaudia	100
Salvete, flores Martyrum	42
Sat, Paule, sat terris datum	131
Sensus quis horror percutit	87
Sinae sub alto vertice	171
Sit qui rite canat te modo virginem	41
Solemne nos jejunii	65
Statuta decreto Dei	28
Stupete, gentes; fit Deus hostia	112
Sublime Numen, ter potens, ter maximum	98
Summi pusillus grex Patris	193
Supreme motor cordium	24
Supreme, quales, Arbiter	167
Supreme Rector coelitem	90
Tandem laborum, gloriosi principes	130
Tandem peractis, O Deus	22
Te laeta, mundi Conditor	59
Templi sacratus pande, Sion, fores	109
Te principem summo, Deus	12
Ter sancte, ter potens Deus	97
Tu quem prae reliquis Christus amaverat	38
Utricibus nos undique	20
Urbem Romuleam quis furor incitat	119
Urbs beata, vera pacis	208
Ut sol decoro sidere	105

Veni, Creator Spiritus	94
Veni, superne Spiritus	91
Verbum quod ante secula	55
Verbum supernum prodiens	101
Vexilla Regis prodeunt	75
Victis sibi cognomina	47
Virginum robur, Deus, atque custos	198
Vos ante Christi tempora	63
Vos O virginei cum citharis chori	197
Vos succensa Deo splendida lumina	185

INDEX. PARS II.

Adam vetus quod polluit	352
Ad Jesum accurre	363
Ad regias Agni dapes	261
Aestimavit ortolanum	333
Aeterna coeli gloria	AMBROSII. 240
Aeterna Christi munera	AMBROSII. 291
Aeternae rerum Conditor	AMBROSII. 221
Aeternae Rex altissime	GREGORII. 266
Aeterni Patris Unice	359
Agnoscat omne saeculum	350
Ales diei nuntius	PRUDENTII. 231
Alma chorus Domini nunc pangat nomina summi	323
Alto ex Olympi vertice	305
Angulare fundamentum	326
Antra deserti teneris sub annis	PAULI DIACONI. 283
Annue Christe saeculorum Domine	325
A Patre Unigenitus	312
A solis ortus cardine	SEDULII. 249
Audi, benigne Conditor	AMBROSII, PRUDENTII, v. GREGORII. 254
Audit tyrannus anxius	PRUDENTII. 250
Aurora coelum purpurat	264
Aurora jam spargit polum	AMBROSII. 243
Aurora lucis rutilat	AMBROSII. 320
Ave plena gratia	364
Beata nobis gaudia	HILARII. 271
Chorus novae Hierusalem	319

Christe sanctorum decus angelorum	290
Christe qui lux es et dies	313
Christe Redemptor omnium	344
Christi miles gloriosus	328
Christo profusum sanguinem	296
Clarum decus jejunii	316
Coeli Deus sanctissime	235
Coelestis urbs Jerusalem	304
Coelestis formam gloriae	337
Collaudemus Magdalенаe	332
Consors Paterni luminis	231
Corde natus ex parentis	349
Creator alme siderum	245
Crudelis Herodes, Deum	252
Cultor Dei memento	317
Decora lux aeternitatis auream	284
Deus, tuorum militum	294
Dies irae, dies illa	379
Ecce jam noctis tenuatur umbra	222
Ecce tempus idoneum	315
Egregie doctor Paule, mores instrue	280
En clara vox redarguit	247
En noctis medium, surgite propere	308
Ex more docti mystico	255
Exultet Ecclesia	375
Felix per omnes festum mundi cardines	356
Festum Matris gloriosae	329
Fortem virili pectore	302
Gloria, laus, et honor tibi sit rex Christe Redemptor	382
Homini superne Conditor	241
Humani generis	373
Hymnum canamus gloriae	354

Immense coeli Conditor	AMBROSII.	230
Inventor rutili Dux bone luminis		393
Iste confessor Domini, colentes		298
Jam Christus astra ascenderat	AMBROSII.	269
Jam lucis orto sidere	AMBROSII.	223
Jam sol recedit igneus		243
Jam ter quaternis trahitur		353
Jesu corona celsior	AMBROSII.	300
Jesu, corona Virginum	AMBROSII, vel GREGORII.	301
Jesu, decus angelicum		279
Jesu, dulcis memoria		277
Jesu, nostra redemptio	AMBROSII.	322
Jesu, quadragenariae		316
Jesu, Redemptor omnium		248
Jesu, Repemptor omnium		299
Jesu, Rex admirabilis		278
Jesu, salvator saeculi		321
Jesu, salvator saeculi		343
Laetabundus		340
Lauda, mater Ecclesia		358
Lauda Sion Salvatorem		370
Laudes Deo devotas		355
Lucis Creator optime	GREGORII.	226
Lustra sex qui jam peregit	AMBROSII? sed vid. Hymn. Pange lingua,	260
Lux alma Jesu mentium		288
Lux ecce surgit aurea	PRUDENTII.	237
Magnae Deus potentiae	AMBROSII?	238
Maria castis oculis		286
Maria ventre concepit		351
Miris modis repente liber, ferrea		286
Mundi salus affutura		330
Nocte surgentes vigilemus omnes	GREGORII.	220

Nox atra rerum contegit . . .	AMBROSII.	236
Nox, et tenebrae, et nubila . . .	PRUDENTII.	234
Nunc sancte nobis Spiritus . . .	AMBROSII.	224
Nuntius celso veniens olympto	282
O gloriosa virginum	307
O Maria noli flere	335
O nata lux de lumine	339
O nimis felix meritique celsi . . .	PAULI DIACOMI.	283
O Pater sancte mitis atque pie	324
O sator rerum, reparator aevi	338
O sol salutis, intimis	256
O sola magnarum urbium	PRUDENTII.	253
Pange lingua gloriosi lauream . . .	FORTUNATI.	258
Pange lingua gloriosi corporis . . .	S. T. AQUINATIS.	273
Paschale mundo gaudium	293
Pater superni luminis	BELLARMINI.	285
Primo die, quo Trinitas	219
Praesepe poni pertulit	352
Quem terra, pontus, sidera	FORTUNATI.	306
Quicumque Christum quaeritis . . .	PRUDENTII, v. BERNARDI.	287
Quodcumque in orbe nexibus revinxeris	ELPIDIS.	280
Rector potens, verax Deus	AMBROSII.	225
Rerum Creator optime	AMBROSII.	233
Rerum Deus tenax vigor	AMBROSII.	225
Rex gloriose martyrum	GREGORII.	295
Rex sempiternae coelitum	263
Sacris solemnibus juncta sint gaudia .	S. T. AQUINATIS.	274
Salvator mundi, Domine	327
Salve festa dies, toto venerabilis aevo	. 387—389, 391, 392	
Salvete flores martyrum	PRUDENTII.	251
Salutis humanae Sator	265

Sanctorum meritis inclyta gaudia	297
Solemnis haec festivitas	366
Somno reffectis artubus	AMBROSII. 227
Splendor Paternae gloriae	AMBROSII. 228
Sponsa Christi quae per orbem	377
Stabat Mater dolorosa	JAC. DE BENEDICTIS. 383
Summae Parens clementiae	AMBROSII. 242
Summae parens clementiae	272
Te, Joseph, celebrent agmina coelitum	281
Telluris alme Conditor	AMBROSII. 232
Te lucis ante terminum	AMBROSII. 227
Te splendor et virtus Patris	289
Tibi Christe, splendor Patris	342
Tristes erant apostoli	AMBROSII. 292
Tu Trinitatis Unitas	AMBROSII. 239
Tu Trinitatis Unitas	272
Ut queant laxis resonare fibris	PAULI DIACONI. 282
Veni, Creator Spiritus	268
Veni Redemptor gentium	311
Veni sancte Spiritus	368
Verbum supernum prodiens	246
Verbum supernum prodiens	276
Vexilla regis prodeunt	257
Victimae Paschali	366

